docent Rebaſſus *de arbitris*, *gloſſa* 5. *n.* 13. Covarr. *l.* 2. *var. c.* 4. *n.* 4. & ea impetrata ad effectum agendi & excipiendi, peti poteſt prædicta reductio. Sed adhuc coram quo judice petenda ſit, non liquet apud Interpretes. Coram ſuperiore judice eſſe petendam, docuerunt relati a Romano *conſilio* 265. moti ex eo, quia hæc reductio appellationi æquiparatur; ſed cum appellatio interponitur, judex ſuperior adeundus eſt, *l. precipimus*, *C. de appellat.* igitur & in hac reductione idem dicendum erat. Sed contrarium, imo apud eumdem judicem petendam eſſe reductionem, apud quem ipſa cauſa diſceptanda erat, & qui ſemoto compromiſſo, ipſius cauſæ judex competens erat, rectius docent Lanfrancus *de arbitris*, *q.* 19. Salicetus *in leg.* 5. *Cod. hoc tit. n.* 14. Cevallos *communium q.* 89. *nu.* 7. Bachovius, *ad Treutlerum*, *theſi* 5. *littera A*, Hunnius *ad ipſum theſi* 13. *q.* 13. *diſp.* 21. plures relati a Fragoſo *dict.* §. 1. *n.* 11. Petrus Greg. *dict. c.* 10. pro quibus faciunt textus *in l. Divus* 8. §. *tranſactionis*, *ff. de tranſact. leg. fin. C. de uſuris pupil. c. expoſita*, *hoc titul.* textus diſertus *in l.* 23. *titul.* 4. *partit.* 3. & illa etiam ratio, nam reductio hæc non eſt appellatio, licet illi æquiparetur: unde neceſſario non eſt petenda coram judice ſuperiore, licet aliquando omiſſo medio petatur, ut ſupponitur in hoc textu, & *in c.* 3. *hoc tit. cap. examinata*, *de confirmat. utili*, docent Vega *in c. quanto*, *num.* 109. *de judiciis*.

20 In cauſa reductionis an detur appellatio.

Succedit alia quæſtio ſatis vexata etiam apud Interpretes, utrum videlicet, ſicut denegatur appellatio jure communi inſpecto, ab arbitrorum ſententia, admittatur a ſententia judicis ordinarii, coram quo petita fuit dicta reductio? Et quamplures negant ab eo poſſe appellari, qui ſequentibus nituntur fundamentis. Primo, nam judex ordinarius, coram quo reductio fuit petita, ſuccedit in locum arbitri, *leg. penult. digeſt. judicatum ſolvi*; & per conſequens ejus naturam, & conditionem habet, *leg. ſi cum*, §. *injuriarum*, *digeſt. ſi quis cautionibus*: igitur ſi ab arbitro non appellatur, nec a judice ordinario, coram quo reductio petita fuit. Secundo, nam cum arbitri juris in caſu recuſationis eliguntur, ab illis licet appellare, quia judicum naturam obtinent, *c. ab arbitris*, *de officio deleg. in* 6. igitur e contrario, a judice ordinario in locum arbitri ſubrogato appellari non licet. Tertio, quia judex ordinarius, coram quo petita fuit reductio, ut vir bonus cognoſcit; fit enim reductio ad boni viri arbitrium: ſed ab eo, qui procedit ut bonus vir, non licet appellare, *leg. ſocietatem* 76. §. *arbiter*, *digeſt. pro ſocio*: igitur nec a prædicto judice ordinario appellare licet. Sed adhuc contrariam ſententiam, & rectius, docuerunt plures, quos referunt, & ſequuntur Covarr. *l.* 2. *variar. c.* 12. *n.* 13. Azevedus *in dict. leg.* 4. *n.* 150. Hunnius *ad Treutler. diſput.* 12. *vol.* 1. *theſi* 5. Gaillus *lib.* 1. *obſ. c.* 49. Petr. Greg. *l.* 5. *partit. titul.* 5. *c.* 9. In omnibus enim cauſis, tam civilibus, quam criminalibus, in quibus appellatio non prohibetur, promiſſa cenſetur, *leg. & in majoribus*, *Cod. de appell.* quare cum in hoc reductionis caſu appellatio prohibita non reperiatur, ſed tantum in caſu, quo arbiter pronuntiet, debet admitti appellatio, cum exceptio firmet regulam in contrarium, *l. nam quod*, §. *fin. ff. de penu legat.* Nec primum fundamentum contrariæ ſententiæ refragatur: judex enim ordinarius, coram quo intenditur, non eſt arbiter, ſed manet judex ordinarius, & judicis officio fungitur: quare ab eo tamquam ab ordinario recte appellatio interponitur. Nec etiam ſecundum fundamentum obſtat, quia judex ordinarius, coram quo petita fuit reductio, licet procedat ut bonus vir, non tamen habet liberum arbitrium, ſed arbitrium boni viri, argumento textus *in l. fidei commiſſa* 11. §. *quamquam*, *ff. de leg. l.* 3. *l. ſi libertus* 2. *ff. de operis libert.* quare ab eo appellatur, ut docent Covarr. & Hunnius *ubi ſup.*

21 Quid hodie in praxi obſervetur.

Ceterum, licet tam jure civili, quam canonico non admitteretur appellatio a ſententiis arbitrorum, quia actio judicati ex eis non dabatur, cum hodie ex ipſis actio naſcatur, & ipſæ ſententiæ executionem paratam habeant, *ex l.* 4. *tit.* 21. *l.* 4. *recopil.* poterit appellari ab illis ſententiis, ut docent Azevedus *in d. l.* 4. *n.* 172. Parladorius *l.* 2. *rerum quotid.* 1. *p.* §. 2. *n.* 23. Rodriguez *de exequt. c.* 1. *art.* 1. *n.* 17. Et ſi judex ordinarius confirmaverit ipſam ſententiam, a qua appellatum erat, vel reductio petita, appellari valet ad judicem ſuperiorem, ut ad Regiam Cancellariam, & ſi ejus Senatores prima ſententia confirmaverint arbitrorum laudum, non admittitur ſupplicatio ab ipſa, *d. l.* 4. quia præſumptio ſtat pro ſententia arbitrorum, argumento legis *Herennius*, *ff. de evictionibus*, *c. in preſentia*, *de renuntiatione*, ſi vero improbata fuerit arbitrorum ſententia, poteſt a ſententia vulgo *de viſta*, ſupplicari, & tunc ultima Senatus ſententia executioni mandabitur, *d. l.* 4. *recopil.* Sed hæc appellatio tantum operatur effectum devolutivum, non vero ſuſpenſivum; quia ea non obſtante, arbitrorum ſententia executioni mandatur per judicem ordinarium, præſtitis fidejuſſoribus; hæc etiam appellatio a ſententia arbitrorum, ſeu reductio a laudo arbitrorum ad arbitrium boni viri, peti debet intra decem dies a die notificationis hujuſmodi ſententiæ computandos, ex expreſſa textus deciſione *in lib.* 35. *tit.* 4. *part.* 3. docent Speculator, Padilla, & alii relati ab Azevedo *in d. l.* 4. *n.* 143. Fragoſo *de regim. diſp.* 14. §. 1. & licet per legem primam, *tit.* 18. *l.* 4. *recopil.* ad appellandum tantum quinque dies concedantur; tamen ea lex procedit in appellationibus ordinariis, quæ a judicum ſententiis interponuntur; non autem in iſtis appellationibus, ſeu reductionibus.

22 De pœna ab appellatione ſolvenda.

Sed licet poſſit appellari a ſententia arbitrorum, aut peti reductio a laudo arbitrorum; tamen ſolvenda eſt pœna ab eo, qui ſuccubuit, ſi ſententia confirmetur, *l. pœna* 32. *ff. hoc ti.* nec intereſt an alterius intereſſe detur; necne, *d. l. pœna*. Explicant Duarenus *ad titulum ff. de receptis*, *c. fin.* Vitalis *l.* 1. *variar. c.* 6. plures congeſti ab Avendanno *d. c.* 22. *n.* 18. Licet enim æquitas ſuadeat, facile permittendum eſſe quod alteri non nocet, *l. in ſumma*, §. *item*, *ff. de aqua pluvia*, & in edicto de in jus vocando, qui in jus vocatus eſt, & judici non paruit, ſi nihil interſit actoris judici fuiſſe obtemperatum, non præſtet pœnam; imo & in non diſſimili ſpecie etſi ſit conventum, ut ſi judici obtemperatum non fuerit, certa pœna ſolvatur: tamen ſi actoris nihil interſit, pœna non committitur, *l. etſi poſt tres*, *ff. ſi quis cautionibus*, *l. ſancimus*, *C. de fidejuſſ.* Nihilominus contrarium obſervatur in pœna compromiſſo comprehenſa, *ex d. l. pœna*; cujus ratio provenit, tum ex Conſulti reſponſo *in l. ult. ff. de prætoriis ſtip.* tum ex eo, quia conventione partium contractus legem accipiunt, *l. contractus*, *ff. de reg. juris*. Unde ſibi imputent compromittentes, qui pœnam promiſerunt, a qua poſtea recedere eis non licet; quare ſive interſit, ſive non adverſarii, pęna præſtari debet, ut docet Vitalis *d. c.* 6. Deinceps, quia illud diſcrimen verſatur inter pœnam adjectam, ut æſtimatio legitimi intereſſis, & ut puniatur perfidia contrahentis, quod primo caſu pęna non præſtatur, ſi nullum detur intereſſe, *c. ſuam*, *de pœnis*; ſecundo vero cum in punitionem perfidiæ promittitur, committitur, etſi intereſſe non detur, *c. dilecti*, *hoc ti. c. quoties* 9. 1. *q.* 7. *c. cum dilectus* 32. *de electione*, *c. ult. de crim. falſi*: quo modo conciliandæ ſunt ſententiæ, & opiniones Baldi, Caſtrenſis, & Saliceti, *in l. cum allegas* 15. *C. de uſuris*. Petri Gregorii *l.* 3. *partit. tit.* 1. *c.* 5. Joannis Guttier. *l.* 2. *canon. c.* 2. *n.* 11. Patris Molinæ *de juſtitia t.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 97. Sanchez *l.* 1. *de matr. diſp.* 37. Vaſei *in ſumma verbo Uſura* 4. *num.* 1. aſſerentium, pęnam conventionalem committi circa partis intereſſe. Avendanno in Dictionario, verbo *Pœna conventionalis*, Pichardus *in* §. *ult. Inſtit. de V. O. n.* 5. Sarmiento *lib.* 3. *ſelect. c.* 6. *n.* 10. Garcia *de expenſis*, *c.* 9. *n.* 63. Rodriquez *de annuis reddit. l.* 3. *c.* 5. *n.* 10. Carleval. *de judiciis*, 2. *t.* 3. *diſp.* 3. *n.* 22. Leotardus *de uſuris q.* 88. *nu.* 8. exiſtimantium pęnam non committi, niſi quatenus interſit partis.

Sed ſi arbitrorum ſententia confirmata non ſit, pęna non committitur: quo modo exponendus eſt textus *in l.* 3. *ti.* 26. *l.* 8. *recopil.* ut docet Gutier. *de juramento*, *p.* 1. *c.* 37. Sed ſi pro parte confirmata ſit ſententia, pro parte vero infirmata, quamvis jure canonico in aliis caſibus pęna dividatur, *c. ſuam*, *de pœnis*: in hoc nec pro parte committitur, cum juſtam habuerit litigator cauſam reclamandi, ut nonſiderat Montalvus *in l.* 4. *tit.* 7. *l.* 4. *fori*. Similiter ſi non ex antiquis, ſed novis inſtrumentis ſententia infirmetur, ex eadem ratione pęna non committitur, ut reſolvit Cujac. *conſultatione* 12. igitur ſolvitur pęna, ſi injuſte petita reductio, aut appellatum ſit, nec inde liberabitur damnatus ab obligatione principali virtute condemnationis, ſi in compromiſſo adjecta ſit clauſula *rato manente compromiſſo*, *ſeu pacto*, augmento textus *in l. penult. Cod. de pactis*, *l. qui filium* 16. *l. cum proponas* 17. *ff. de tranſact. l. ita ſtipulatus* 35. §. *pen. & ult. ff. de V. O.* ut apponi ſolet Hiſpane, *a todo pechar la pena*, *y cumplir la permiſſion*, *l.* 34. *tit.* 11. *partit.* 3. In compromiſſo enim cum tali clauſula facto, duo pacta ineſſe intelliguntur: unum pęnale, aliud ſimplex, ita ut litigator arbitrio non parens, & pęnam ſolvere, & ſententiæ ſtare teneatur, gloſſa *verbo exceptionem*, *in l.* 2. *ff. hoc ti.* Panormit. *in preſenti*, *n.* 8. Petrus Greg. *d. c.* 9. Azevedus *d. lib.* 4. *n.* 51. licet in vulgari compromiſſo contrarium obſervetur, in quo alterutrum tantum exigi poteſt, ex lege *pacto*, *C. de pactis*, *l. ubi pactum*, *C. de tranſ.* quia tacite ineſt in eo clauſula, videlicet ut ſoluta pęna, recedere liceat a compromiſſo, authentica *decrevit*, *C. hoc tit.* ut plura adducentes pro expoſitione dictæ clauſulæ *rato manente pacto*, tradunt Barb. *de clauſula* 128. Pichardus *in tr. de mora*, *n.* 183. Carleval. *de judiciis*, *t.* 2. *diſp.* 3. *ex n.* 14. Donel. *in d. l. ſi ſtipulatus* 115. *n.* 37. Faber *in ration. ad legem prædia* 28. *ff. de act. empti*, Balduinus *in diſt. l. pacto*, *verſ. Si quid tamen.* 23 Pœna quando non debeatur.

Pro hujus deciſionis vera ratione varia adducunt Repetentes, & Interpretes ſupra relati. Aliqui exiſtimant, in præſenti ſpecie non ſtari arbitrio arbitrorum, quia ſimoniacam continebat pravitatem, cum pro re ſpirituali, videlicet capellania, res temporalis, ſcilicet penſio quinque marcharum argenti præſtaretur: ita præſenſerunt in præſenti gloſſa verbo, *Quinque*, Berojus, *n.* 48. Suarez *d. l.* 4. *de ſimon. c.* 5. *nu.* 13. & 23. Sed eorum ſententia refellitur primo *ex d. c. niſi eſſent*, *de prebendis*, ubi in eadem ſpecie arbitrium approbatur. Secundo ex eo, quia ſi compoſitio, de qua in hoc textu, originem duxiſſet a partibus, ſimoniaca præſumi poſſet, juxta ea quæ adduximus *in c. cum pridem de pactis*: ſed ortum habuit ab ipſis arbitris: igitur non poteſt tamquam ſimoniaca damnari. Tertio quia ſi fuiſſet ſimoniaca, non poſſet ullo caſu ſervari; ſed ait noſter Alex. quod ſi juſta videatur dicta penſionis compoſitio; obſervetur arbitrorum arbitrium; igitur quia talis compoſitio non eſt ſimoniaca. Hac igitur omiſſa ſententia dicendum eſt in præſenti ſpecie, arbitrorum ſententiæ non ſtari, quia iniqua erat ratione inæqualitatis penſionis, ut docet Balboa *in c. fin. de pactis*, *n.* 116. & licet arbitrio æquo, vel iniquo ſtandum ſit, *d. l. diem* 27. §. *ſtari*; illud procedit, niſi petita ſit reductio ad arbitrium boni viri, ut ſupra probavi. Unde cum in præſenti petita fuiſſet coram Alexandro III. ipſe reſcribit Archiep. Eborac. ut ſi iniquum arbitrium judicaſſet, ipſum irritaret: ſi autem æquum, executioni mandaret. Præſenſit Barboſa *in præſ. nu.* 1. qua interpretatione retenta, facile difficultati ſupra adductæ ſit ſatis. 24 Traditur ratio decidendi.

C A-

C A P U T III.

Alexander III. a *Exon. Epiſcopo*.

PErvenit ad nos, quod cum Vv. Clericus de Caleſtin in minori eſset ætate conſtitutus, G. de Cal. ſororem ejuſdem Vv. duxit in uxorem, & fidei *b* interpoſitione firmavit, quod v. ſol. *c* ſterlingorum ei annuatim donaret. Unde cum poſtea ſuper eiſdem v. ſol. inter ipſum clericum, & jam dictum G. controverſia fuiſset mota, in *d* quatuor perſonis compromiſerunt, quæ utique inter ſe taliter arbitratæ ſunt, quod præfatus G. decimas *e* proprias, & ruſticorum ſuorum, quas in parochia de Cal. habere dignoſcitur, pro v. ſolidis prætaxatis ſingulis annis perciperet. Unde quoniam hujuſmodi arbitrium Eccleſiæ jamdicti loci poſset in poſterum perniciosum exiſtere, nec memoratus Vv. aut perſonæ illæ, a quibus promiſsum fuerat, id ullatenus in Eccleſiæ damnum facere debuiſsent: f. t. per Ap. ſ. m. quat. rei veritatem diligenter inquiras, & ſi ita inveneris, prænominatum G. diligenter admoneas, & eccleſiaſtica diſtrictione compellas, ut Eccleſiæ, cujus eſt parochianus, prælibatas decimas, omni occaſione, & ap. rem. liberas prorſus dimittat, nec ſibi aliquid ulterius vindicare præſumat. Clericum vero ſupradictum moneas, ut cum eodem G. amicabiliter, pacificeque ſtudeat convenire.

N O T Æ.

a *ALexander III.*) Ita legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 2. De Alex. III. jam aliqua notavi *in c.* 1. *de reſcriptis*. De Oxonienſi Eccleſia nonnulla adduxi *in c. propoſuit* 6. *de filiis presbyt.*

b *Fidei interpoſitione.*) De interpoſitione fidei, & quando habeatur pro juramento, plura obſervavi *in c. ad aures* 4. *de his quæ vi*.

c *Sterlingorum.*) Genus eſt monetæ apud Anglos uſitatum, cujus mentio obvia eſt apud ſcriptores illius provinciæ.

d *In quatuor.*) Licet enim compromiſſum fieri debeat in diſpari arbitrorum numero, tamen ſi in pari fiat, non ideo vitiatur compromiſſum, ut jam late probavi *in c.* 1. *hoc tit.*

e *Decimas proprias.*) Ab ipſo videlicet ſolvendas, prædiales, ſeu perſonales, quas virtute arbitri retinere intendebat.

COMMENTARIUM.

1 Concluſio deducitur, & probatur.

EX hac deciſione ſequens deducitur communiter diſputanda aſsertio; *Arbitri non poſſunt in ſolutum actori aſſignare decimas Eccleſiæ, quas reus ratione beneficii poſſidet.* Quæ aſsertio ſingularis eſt in jure noſtro; eam tamen illuſtrant ultra ordinarios, & congeſtos a Cenedo *collect.* 102. *ad Decret.* & Barboſa *in præſ.* & *l.* 3. *juris Eccl. c.* 17. *n.* 10. Lotherius *de re benef. l.* 2. *c.* 42. *n.* 25. Antonius Gomez *l.* 2. *variar. c.* 13. *n.* 18. P. Barb. *in leg.* 1. *part.* 4. *n.* 132. *ff. ſolut. matrim.* Mantica, Guttierez, & alii innumeri congeſti a Salgado *in labyrinth. credit. t.* 1. *c.* 42. *n.* 4. & 5. & *t.* 2. *c.* 15.

2 Impugnatur hæc aſſertio.

Sed hæc aſſertio valde difficilis redditur ſequenti juris conſideratione; Clerici non ſolum de bonis patrimonialibus, verum etiam ex fructibus ſuorum beneficiorum, & de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis poſſunt ſorores ſuas dotare, & eorum maritis certam quantitatem dotis nomine promittere; ut probant Joannes Garcia *de expenſis*, *c.* 3. *n.* 32. Navarrus *de reddit. q.* 2. *mit.* 26. Martha *de juriſd.* 4. *part. centur.* 2. *caſu* 163. *per totum*, Valenzuela *tom.* 1. *conſil.* 98. Igitur ſi clerici ipſi poſſunt ex decimis, & fructibus beneficii ſorores dotare, poterunt judices, arbitrive in cauſam judicati eos capere, & in ſolutum dotis cauſa hujuſmodi fructus, & decimas aſſignare. Accedit, nam clerici jure hoc Decretalium inſpecto poterant fructus proprii beneficii ad eorum vitam locare, ſeu alio modo alienare, *c. de cetero* 5. *c. veniens* 8. *de tranſact. c. finali*, *ne Prælati vices*: quamvis hodie ex extravaganti *Ambitioſæ*, *de rebus Eccleſiæ*, tantum uſque ad triennium poſſint prædictos fructus locare. Probant Covarr. *l.* 2. *variar. c.* 16. *n.* 4. Avendanno *de exequendis*, *cap.* 4. *n.* 32. Gamma *deciſ. ult.* Redoanus, & alii congeſti a Barboſa *in diſt. extravag.* igitur & in præſenti caſu poterant arbitri virtute compromiſſi decimas quoad vitam ipſius clerici marito in ſolutum dotis nomine aſſignare. Accedit etiam, nam valet argumentum de militia terreſtri ad cæleſtem, & de ſtipendiis militiæ armatæ ad ſtipendia clericis aſſignata, *c.* 1. *de renunt.* Sed ſtipendia militibus aſſignata, deficientibus aliis bonis poſsunt in cauſam judicati capi, *l. commodis*, *ff. de re judic. l.* 4. *Cod. de execut. rei judic.* igitur & ſtipendia, ut ſunt decimæ clericis aſſignatæ, potuerunt per arbitros creditori in ſolutum aſſignari. Quam ſententiam, videlicet fructus beneficii poſse creditoribus in ſolutum dari, *ex c.* 2. *de fidejuſſ.* docent innumeri a Salgado congeſti *d. p.* 1. *c.* 42. *per totum*; ergo arbitri magna juris ratione moti decimas debitoris competentes in ſolutum creditori aſſignarunt.

3 Clericus, poteſt ſororem ſuam dotare.

Qua dubitandi ratione non obſtante, vera eſt præſens Alex. deciſio, quam adeo difficilem judicavit Cenedus *coll.* 102. *ad Decretales*, ut ænigmati ſimilem eſse dixerit, nec facile referandam, aut reſolvendam. Sed pro ejus expoſitione primo ſciendum eſt, clericum poſse ſorori ſuæ dotem aſſignare, non ſolum de bonis patrimonialibus, verum de fructibus ſui beneficii, ut late probant Molina, Reginaldus, & alii congeſti a Barb. *in præſ. & l.* 3. *juris Eccl. c.* 17. *n.* 39. Valenzuela *diſt. conſil.* 98. dos enim in locum alimentorum ſubrogatur; unde ſicut clericus poteſt ex fructibus ſui beneficii ſorores, atque alios conſanguineos alere, *c.* 1. *de cohabit. cleric.* ita & eas dotare: imo non inferiores numero, & auctoritate Interpretes affirmant, fratrem non ſolum poſse, verum & teneri ſorori dotem aſſignare; quod ex noſtro textu deducunt Antonius hic, *n.* 2. Immola *n.* 1. Barboſa *in l.* 1. *p.* 4. *n.* 131. *ff. ſolut. matrim.* Cenedo *d. collect.* 102. Sed non recte pro ea ſententia expenditur præſens textus, cum in ejus integra, quam ex ſecunda collectione tranſcripſi, loco illorum verborum, *dotem dedit*, quæ apud Raymundum leguntur, habeatur, *dotem donavit*. Unde ſupponitur ex mera liberalitate fratrem promiſiſse quinque ſolidos dotis nomine. Sed licet hæc doctrina perperam a Doctoribus ex hoc textu deducatur, probatur tamen *ex l. mutus* 7. *ff. de jure dotium*, *l. qui filium* 4. *ff. ubi pupillus*: & docent ultra congeſtos a Barboſa *in præſ.* plures laudati a Fragoſo *t.* 3. *de regim. l.* 2. *diſp.* 4. §. 3. Martha, & Valenzuela *ubi ſupr.* & quid obſervetur circa filiam ſpuriam clerici, late tradit D. Joannes de Larrea *deciſ.* 96. *Granat.* Deinde ſciendum eſt, quod licet clerici privilegium habeant, ne conveniantur ultra quam facere poſſint, & quantumvis obærati, & ad ſolvendum impotentes, carceri mancipari nequeant, *c. Odoardus*, *de ſolution.* Cevallos *practic. q.* 701. *n.* 1. Rodriguez *de executione*, *c.* 8. *n.* 33. tamen ad debiti ſolutionem coguntur, non ſolum ſi bona patrimonialia habeant, verum & illis deficientibus per ſubtractionem fructuum ſuorum beneficiorum, *c. pervenit* 2. *de fidejuſſoribus*, *c. olim* 16. *de reſtit. ſpol.* Docent Covar. *l.* 2. *var. c.* 1. *num.* 9. Avendanno *reſponſ.* 19. *n.* 7. Sarmiento *de redditibus*, 4. *p. c.* 1. *n.* 1. plures congeſti a Salgado *in Labyrinth. p.* 1. *c.* 41. *n.* 3. licet contrariam ſententiam tenuerint Abbas *in preſenti*, *n.* 12. & alii antiquiores *in d. c. pervenit*; quorum fundamenta in illius textus commentario examinabimus.

Ut ad præſentis deciſionis rationem perveniamus, ſciendum eſt, varias adduxiſse Antonium, hic, *n.* 12. Immolam *n.* 5. P. Barboſam *in d. l.* 1. *n.* 33. Tiraquellum *de tr. t.* 1. §. 1. *gloſſa* 7. qui docent, ideo arbitrium ab arbitro prolatum in præſenti ſpecie improbari, quia præbebat creditori facultatem, ut ipſe poſset propria auctoritate decimas percipere, quouſque debitor ſibi ſatisfaceret, juxta legem *non eſt ſingulis* 137. *ff. de regulis juris*, & tradita a Covar. *c. quamvis*, 2. *p. in initio*, *n.* 6. *de pactis l.* 6. Valaſco *conſultatione* 173. *nu.* 17. Sed hæc ratio ex ipſius textus ſerie nullo modo conſtat, cum arbitri non pronuntiaverint, ut creditor propria auctoritate decimas ſibi perciperet, ſed ex ceſſione, aut delegatione ipſius debitoris. Gloſsa ultima in præſenti aliam adducit rationem, videlicet quia adjudicatio decimarum facta fuit ad vitam ipſius creditoris: ſed adjudicatio ad vitam eſt perpetua, *libr.* 1. *ff. pro ſocio*, & in alienatione perpetua decimarum, aut rerum Eccleſiæ ſolemnitas præſcripta in titulo de rebus Eccleſiæ deſideratur. Covarr. *libr.* 1. *variar. capit.* 16. *nu.* 3. igitur decimarum adjudicatio ſine debita ſolemnitate facta per compromiſsum in præſenti ſpecie ſuſtineri non poterat. Sed nec hæc ratio placet tum quia in præſenti caſu non agitur de rebus eccleſiaſticis, nec de jure percipiendi decimas: ſed de ipſis decimis, & fructibus beneficii, qui poſſunt alienari etiam per vitam ipſius beneficiarii, *c.* 2. *de locato*, *c. fin. ne Prælati vices ſuas*, Guttierez *l.* 1. *can. c.* 8. *n.* 18. unde poſsunt in cauſam judicati capi, & in ſolutum dari, *c.* 2. *de fidejuſſ. c. olim*, *de reſtit. ſpol.* Tum etiam, quia etſi ageretur de rei eclesiaſticæ alienatione, alienatio erat neceſsaria, videlicet datio in ſolutum, quo caſu ſolemnitas alias alienationi præſcripta non deſideratur, argumento textus *in l. alienationis*, *ff. familiæ erciſc. l.* 1. *ff. de fundo dotali*. His igitur omiſſis ſententiis, vera hujus deciſionis ratio aſſignatur ab ipſo Pontifice in illis verbis: *quoniam hujuſmodi arbitrium poſſet in poſterum perniciosum Eccleſiæ exiſtere*. Propterea enim arbitrorum ſententia in præſenti caſu improbatur, quia poterat Eccleſiæ eſse damnoſa, veluti ſi poſt mortem clerici maritus eaſdem decimas retinere intenderet vexando Eccleſiam litibus, cum gravi ejus damno, argumento textus *in l. minoribus* 6. *ff. de minoribus*; præſertim cum arbitrium fuiſset abſque ulla temporis taxatione conceptum. Jubebatur enim in eo ab arbitris, ut pro quinque ſolidis ex cauſa dotis promiſſis, poſset maritus eamdem quantitatem ex decimis percipere; unde tale jus percipiendi decimas perpetuum videbatur duplici ex cauſa; prima, quia arbitrium indeterminate erat conceptum; quare perpetuum videbatur, *libr.* 1. *ff. pro ſocio*: ſecunda ex natura dotis, cujus cauſa perpetua eſt, & ita datur, ut perpetuo apud maritum ſit, *libr.* 1. *ff. de jure dot.* unde durante matrimonio, maritoque ſuſtinente ejus onera, etiamſi decederet clericus dotis promiſsor, poſset maritus de facto intendere contra Eccleſiam adhuc jus habere percipiendi 4 Traditur ratio decidendi.

prædi-

prædictas decimas; injuſte tamen in judicio ageret, cum certum ſit fructibus majoratus, aut feudi in ſolutum aſſignatis, jus percipiendi eos extingui, mortuo poſseſsore majoratus, vel feudi, ut pluribus relatis docet Salgado *p.* 2 *Labyrinthi*, *l.* 3. *c.* 15. Sed quia, licet juſte, poterat Eccleſia litibus, & expenſis vexari, prædictum arbitrium improbavit Alex. III. ſicut enim minori ſuccurritur ob timorem vexationis ex litibus, *d. l. 6. de minor.* ita & Eccleſiæ ſuccurrendum eſt, quæ jure minoris utitur, *c. auditis* 3. *de in integ. reſtit.* docent Abbas *in præſenti*, *n.* 2. & Vivianus *in ration.* Firmatur etiam hæc ratio ex textu non vulgari *in c. nuper*, *de donat. inter.* ubi cum in dotem, ſeu donationem propter nuptias uſufructuarius dediſſet uſufructum, qui ex ſua natura mortuo uſufructuario finitur; quia tamen dotis cauſa alienatus fuit, hæſitabatur, an adhuc mortuo uſufructuario uxor poſſit retinere uſumfructum propter nuptias ſibi donatum. Ne ergo ſimilis quæſtio in præſenti Eccleſiæ moveretur, & ſic litibus vexaretur, recte Alex. III. decrevit, hujuſmodi compromiſſum eſse improbandum, cum Eccleſiæ pernicioſum eſse poſſit.

5 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta; nam licet verum ſit, beneficiarum poſse ſorori ſuæ dotem aſſignare de fructibus ſui beneficii, id procedit quando dotem conſtituit ex fructibus jam perceptis, tradendo certam eorum partem marito dotis nomine: non vero ex fructibus futuris dotem promittere valet, aſſignando eos ſolutionis cauſa, ut maritus tamquam creditor jure proprio eos perciperet, ut contingebat in præſenti virtute ſententiæ arbitrorum. Nec augmentum primum difficultatis refragatur; licet enim jure antiquo poſſit beneficiarius decimas, & alios fructus ad vitam locare, vel alienare, *c. ſine exceptione*, *c. ult.* 12. *q.* 2. *ult. ne Prælati*: tamen ita alienari, ut in perpetuum decimæ ad maritum pertinerent, non valebant, *c. de cetero*, *c. veniens*, *de tranſ.* unde cum in præſenti ſpecie adjudicatio decimarum eſset perpetua, videlicet dotis cauſa, ſuſtineri non poterat, cum etiam mortuo debitore poſset intendere, jus percipiendi decimas durare, cum ipſe matrimonii onera ſuſtineret. Nec tunc obſtabit, ſi inſtes, quod ſi in præſenti caſu adjudicatio decimarum in perpetuum facta improbatur ex prædicta ratione, debebat tamen ſubſiſtere uſque ad vitam ſaltem ipſius beneficiarii, vel uſque ad ſeptennium; ad quod tempus locationis titulo ipſe decimas alienare valebat, *d. c. ult. ne Prælati*: ne per inutile vitietur utile, contra regulam *Utile*, & ibi tradita a Pechio *de R. I. l.* 6. præcipue cum etiam hodie poſt prohibitionem extravagantis, *Ambitioſæ*, etſi in ea inhibeatur locatio ultra triennium, ſi fiat in longum tempus, valet ſaltem intra triennium a jure permiſſum, ut reſolvunt Garcia *de beneficiis*, 2. *p. c.* 1. *n.* 48. Molina 2. *tom. de juſtit. diſp.* 467. Cevellaos *practic. q.* 199. *n.* 5. Nam reſpondetur diſcrimen eſſe conſtituendum inter alienationem factam in perpetuum, & celebratam ultra tempus a jure permiſſum. Primo caſu, nec intra triennium, aut ſeptennium ſuſtinetur, ut non credatur in eodem tempore contrahentes conſenſuros. Pater Molina *d. diſp.* 467. Lud. Molina *de primogeniis*, *l.* 1. *c.* 16. *n.* 18. Guttier. *l.* 1. *canonic. c.* 8. *n.* 8. Secundo vero caſu valet intra tempus a jure permiſſum. Garcia *d. c.* 1. *n.* 46. Unde cum adjudicatio decimarum in præſenti caſu fuiſſet perpetua, nec intra tempus a jure permiſſum ſuſtineri potuit. Accedit etiam, quia condemnatio arbitrorum in præſenti caſu inſeparabilem cauſam continebat, interum dum marito dos ſolveretur quinque ſolidorum quotannis. Unde creditor marito non ſatisfaciebat ſolvendo eam quantitatem per triennium, niſi annuatim eam ſolveret in perpetuum, ut in dote promiſſum erat. Nec tandem ultimum augmentum refragatur deductum *ex diſt. cap.* 2. *de fidejuſſor. cap. olim* 2. *de reſtit. ſpol.* nam licet fructus beneficii jam percepti in cauſam judicati capi poſſint, ut dicemus *in diſt. c.* 2. tamen fructus nondum percepti, nec beneficiario quæſiti, qui pendent ex vita ipſius, non poſſunt creditori aſſignari in perpetuum, ex ratione ſupra tradita.

C A P U T IV.

Innocentius III. a *Cancellario & Magiſtro Lothario Canonico*, *Pariſienſibus*.

Dilecti filii Abbas, & conventus *b* de Scarduno, Ciſtercienſis Ordinis, ſua nobis querela monſtrarunt; quod cum inter eos ex una parte, ac *c* Hoſpitalarios ex altera, ſuper uſurario cujuſdam nemoris quæſtio verteretur, in A. *d* Reginam Francorum fuit compromiſſum utrumque. Quæ cauſæ meritis intellectis, arbitrium duxit per diffinitivam ſententiam promulgandum: & redactum in ſcripto, proprio, & Epiſcoporum, qui ibi interfuerunt, fecit firmare ſigillis. Contra cujus ſententiam Hoſpitalarii temere venire non timent. Quamvis autem ſecundum regulam juris civilis feminæ *e* a publicis officiis ſunt remotæ, & alibi *f* dicatur, quod licet ſummæ opinionis exiſtant, ſi arbitrium ipſe ſuſceperint, vel ſi patronæ inter libertos ſuos interpoſuerint audientiam, ab omni ſunt judiciali examine ſeparandæ, ut ex earum prolatione nulla pœna adverſus earum contemptores, nullaque pacti exceptio habeatur: quia tamen juxta *g* conſuetudinem approbatam, quæ pro lege ſervatur in partibus Gallicanis, feminæ præcellentes in ſubditos ſuos ordinariam juriſdictionem habere noſcuntur: mandamus quatenus Hoſpitalarios, ut arbitrium ipſum, præſertim cum Epiſcoporum fuerit præſentia, & conſilio roboratum, ſicut provide latum eſt, & ab utraque parte ſponte receptum, obſervent per penam in compromiſſo ſtatutam, appellatione poſtpoſita, compellatis.

N O T Æ.

1 a *Cancellario.*) Ita etiam legitur *in c. hoc tit. in* 3. *collect.* & *l.* 7. *ep. Innoc. ep.* 122. ex qua ſupplenda eſt littera hujus textus; cujus integram refert Manrique *t.* 3. *annal. Ciſterc. an.* 1204. *c.* 5. *n.* 9. Huic etiam Cancellario Pariſienſi reſcribitur *in c. ſuborta*, *de re judic. c. dilectus*, *ut lite pendente*, *c. ex parte*, *de V.* S. De Eccleſia Pariſienſi nonnulla adduxi *in c. fin. de conſt.*

b *Scarduno.*) *Eſcurreja*, legit Manrique ubi ſupra *num.* 8.

c *Hoſpitalarios.*) De his plura dabimus *in c. parentibus*, *de privil.*

2 d *A. Reginam.*) Agnetem interpretatur Manrique *ubi ſup.* Cyriacus vero *t.* 3. *controv. c.* 401. *n.* 70. Adelam matrem Philippi Regis Francorum legit. Philippus enim qui regnavit temporibus Innocentii III. Adelam matrem adhuc ſuperſtitem habebat. Paulus Æmilius *de rebus Francor. l.* 5. *in Ludovico juniore*, *pag.* 113. *n.* 5. & *l.* 6. *in Philippo*, *pag.* 119. licet Gaguinus eam Aliſiam, ſeu Aliciam appellet *l. 6. in Ludov. Jun. c.* 3. *pag.* 92. Cum enim Philippus proficiſceretur in Syriam pro Terræ Sanctæ recuperatione, reliquit matri ipſius Regni regimen, ut refert Æmilius *d. l. 6. pag.* 119. ipſe etiam Philippus tres habuit uxores, primam Eliſiam, ſeu Iſabellam, filiam Balduini III. Comitis Panoniæ, de qua Gaguinus *diſt. l. 6. in Philippum*, *c.* 4. 93. Secundam Iſembergam, ſeu Ingerbergam, de qua ipſe Gaguinus *pag.* 96. licet eam Botildam appellet Baronius *anno* 1193. Tertiam Agnetem filiam Bertoldi Ducis Moraviæ, de qua Bzovius *anno* 1198. Gaguinus *ubi ſup. pag.* 97. quam dimiſit compulſus per Innoc. III. unde Cyriacus Adelam legit, quaſi compromiſſum, de quo in præſenti, in eam factum eſſet. Manrique vero Agnetem legit, cujus ſententiæ libenter adhæreo, ipſa ratione motus, qua Cyriacus exiſtimavit legendum eſſe Adelam. Ait enim, non poſſe litteram A. accipi de Agnete, quia cum eam odio haberet Innoc. III. non appellaret ipſam chariſſimam. Sed retorqueo argumentum adverſus ipſum: nam cum in ipſa Innocentii epiſtola tantum legatur ſimpliciter A. Reginam, non poteſt littera A. referri ad Adelam, de qua non ita ſevere loqueretur Innocent. igitur referri debet ad Agnetem uxorem, etſi injuſtam, ipſius Philippi, ut exiſtimat Illuſtr. Manrique.

3 e *Officiis publicis.*) *L.* 2. *ff. de regulis juris*, ubi plura cumularunt Cujacius, P. Faber, & Jacobus Gothofred. Circa quam regulam obſervandi ſunt textus *in l.* 3. *ff. de negotiis geſt. lib.* 1. *§. parvi* 16. *ff. de exercit. action. l. bello* 18. *ff. de excuſ. tut. l. penult. ff. de edendo*, *l. fin. ff. de tutelis*.

f *Et alibi dicatur.*) Videlicet *in l. fin. C. hoc tit.*

4 g *Conſuetudinem.*) Forſan lege Salica, quæ conſuetudo Galliæ in eo Regno appellatur, ut probant Cironius *l. 5. obſerv. c. ult.* Illud autem eſt, quod cum in Gallia feminæ ſuccedant in feudis, per conſequens juriſdictionis feudalis capaces ſunt, ut probant Alteſſerra *l.* 2. *de Ducibus*, *c.* 11. Maſtrillus *l.* 2. *de Magiſtr. c.* 4. & ſupponit Jacobus a Vitriaco *l.* 2. *hiſt. Occid. c.* 8. dum ait: "Quædam autem nobilis mulier in villa, „quam habebat, frequenter admonuit Presbyterum, ut ſuam „relinqueret concubinam; quo renuente, & reſpondente: „Quid ad vos de ſacerdotibus? Ipſa reſpondit: Contra vos „nullam poſſum exercere juſtitiam, verumtamen omnes hu„jus villæ, qui non ſunt clerici, ſpectant ad meam juriſdi„ctionem. Jubens autem ſacerdotis ad ſe adduci concubi„nam, fecit ei fieri amplam coronam, dicens: Quia non „vis relinquere ſacerdotem, volo te ordinare in ſacerdo„tiſſam.

Hujus textus hiſtoriam refert Manrique *d. c.* 5. *anno* 1203. 5 Species textus refertur. in hunc modum; Litigabat Monaſterium de Eſcurreja cum fratribus Hoſpitalariis ſuper uſufructu cujuſdam vicini nemoris; quibus placuit, ut expenſas, moleſtiaſque litis effugerent, compromiſſum facere in Agnetem Galliæ Reginam; illa vocatis vicinis Epiſcopis, quorum conſilio litem decideret, pro monachis contra Hoſpitalarios ſententiam protulit, quam non ſolum ſuo, verum & Epiſcoporum ſigillis munitam, utrique parti fecit intimari. Sed Hoſpitalarii arbitrio non parentes, Agnetem ratione ſexus juriſdictionis incapacem eſſe multis argumentis ſuadebant; quippe a ſolio jam exturbatam non ſunt veriti, quam paulo ante, Philippo abſente, regnantem formidaviſſent. Tunc vero res delata eſt ad Innocentium III. qui auditis utriuſque partis allegationibus, pro Reginæ arbitrio ſententiam protulit, litteris ſuis miſſis ad Cancellarium, & Magiſtrum Lotharium Pariſienſes; quæ referuntur in hoc textu.

C O M M E N T A R I U M.

6 Concluſio refertur, & probatur. Ex hac Innocentii epiſtola communiter talis deducitur aſſertio: *In feminam particularem compromiſſum fieri non valet; ſecus ſi ipſa habeat juriſdictionem ordinariam, de jure, vel conſuetudine.* Non eſt ſimilis deciſio in jure noſtro, qua probari poſſit præſens aſſertio; eam tamen illuſtrant Molina *de primog. l.* 1 *c.* 13. *n.* 14. Pater Molina *t.* 5. *de juſtitia*, *diſp.* 39. *nu.* 4. P. Barboſa *in l. cum Prætor* 12. *§. fin. n.* 261. *ff. de judiciis*, Benedictus Ægidius *in tr. de privilegiis honeſt. art.* 2. *num.* 8. Souſa *in l. femina*, *n.* 8. *ff. de regul. jur.* Bobadilla *l.* 2. *polit. c.* 16. *n.* 222. Cujacius *l.* 1. *obſerv. c.* 23. Guillelmus Bened. *in c. Raynuntius*, *verbo duas habens*, *n.* 119. P. Greg. *lib.* 5. *partit. tit.* 4. *cap.* 6. Connanus *l.* 1. *comment. c.* 8. *num.* 4. Greg. XV. *deciſ.* 204. Azevedus *in l.* 7. *tit.* 9. *lib.* 3. *recop.* Cyriacus *tom.* 3. *controv. c.* 401. *num.* 52. alii plures congeſti a Cenedo *collect.* 122. *ad Decretales*. Barboſa *in præſ.* Alteſſerra *hic*.

7 Traditur dubitandi ratio. Sed hæc aſſertio difficilis valde redditur ea validiſſima ratione: licet enim feminæ a judicandi officio arceantur, *l. cum Prætor* 12. *ff. de judiciis*, *l.* 2. *ff. de R. I. l.* 4. *tit.* 1. *partita* 3. late probavi *in c. dilecta*, *de majorit. & obed.* hoc tamen procedit, ſi mores civiles reſpiciamus: nam ſi ad jus naturale, vel divinum recurramus, non inveniuntur feminæ prohibitæ a judicandi munere, *d. l. cum Prætor* 21. *§. ult.* Non jure naturali arcentur ab hoc officio, quia judicii capaces ſunt; nec contrarium probant textus *in l. ult. C. hoc tit.* in illis verbis; *Natura lex id eis non permiſit*; nam verbum illud *natura*, non debet accipi pro jure naturali, ſed tantum pro naturali feminarum qualitate, ut accipitur *in l. cauſa* 2. *§. idem Pomp. ff. de minor. l. jus noſtrum*, *ff. R. I.* notavit Pinellus *in l. ex parte* 1. *n.* 27. *C. de reſcind.* Nec etiam lege divina arcentur a judicandi munere, cum inveniamus Debboram populum Dei judicaſſe, ut conſtat *ex c.* 4. *Judith*; tantum enim legibus civilibus; quia ab aliis actibus publicis penitus arcentur, ita & a judicandi munere, utpote publico, ut probat Vultejus *de judiciis l.* 1. *c.* 4. *n.* 130. unde ſi feminæ præfulgeant dignitate Regali, Ducali, vel ſimili, juriſdictionem valent exercere, *c. cum devotiſſimam*, juncta inſcriptione, cum textu ſequenti, 12. *q.* 2. *c. ſignificavit* 36. *de reſcriptis*, *c. dilecto* 49. *de teſtibus*, *c. ex parte* 15. *de foro compet. c. ult. de conceſſ. præbend. c. pervenit* 5. *de cenſibus*, *c. ex parte* 37. *de privil. c. ex parte* 23. *de V. S.* ubi ſupponitur feminas ſuccedere in his dignitatibus: & probat Cyriacus *dicta controv.* 401. *n.* 48. tunc enim juriſdictio non per ſe in femina ſubſiſtit, ſed veluti quid annexum ideſt in ipſa dignitate: & ita ut acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. Plura enim, quæ ſunt acceſſoria dignitatis, vel officii, & per ſe conſiderata poſſideri nequeunt, ut annexa, & acceſſoria retineri valent, *cap. ſuper eo* 6. *de præbend. lib.* 6. unde beneficium, quod per ſe reſidentiam petit, ſi unitum ſit dignitati, ſeu præbendæ, poteſt per alium deſerviri, *c. extirpandæ* 6. *§. quia vero*, *de præbendis*. Similiter clerici, qui per ſe juriſdictionem ſæcularem exercere non valent, ſi tamen ſuccedant in primogenio habente annexam juriſdictionem temporalem, eam exercere poſſunt. Abbas *in c. inter*, *nu.* 2. *de fide inſtrum.*, ubi Felinus *n.* 3. Palaus *de majorit.* 2. *part. quæſt.* 3. *num.* 4. Spurii etiam, ſi ſuccedant in majoratu, cui annexa eſt juriſdictio, eam exercere valent. Molina *de primog. ubi ſupra*, *cap.* 13. *num.* 16. unde feminam incapacem juriſdictionis ſuccedentem in dignitate, poſſe exercere jurisdictionem tali dignitati annexam, docuerunt pluribus relatis Cyriacus *dicta controverſ.* 401. Maſtrillus *de Magiſtr. l.* 1. *c.* 4. ſed compromiſſum in præſenti caſu factum fuit in Reginam: igitur neceſſaria non erat Gallicana conſuetudo, ut in ipſam compromitti poſſet: ſiquidem ratione dignitatis ordinariam juriſdictionem obtinebat. Fruſtra ergo in præſenti Innocentius recurrit ad conſuetudinem Galliæ.

8 Qui arbitri recipi poſſint. Qua difficultate non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cujus exactiori interpretatione ſciendum eſt, edictum hoc de arbitris, prohibitorium eſſe, ideoque omnes in arbitros eligi poſſe, quos jus expreſſe recipi non prohibet, *l. ſi pupillus*, *l. non diſtinguemus*, *§. ſervus*, *ff. hoc tit.* cum enim arbitria ad inſtar judiciorum ſint redacta, *l.* 1. *ff. hoc tit.* & in judiciis omnes qui non prohibentur judicare, judices eſſe poſſint, *l. cum Prætor* 12. *ff. de judiciis*: ita in arbitris illi recipi poſſunt, qui in jure expreſſe prohibiti non reperiuntur: arbitri ergo eſſe poſſunt non ſolum Patres familias, verum & filii, etiam in cauſis ad patrem ſpectantibus, *l. ſed & filius*, *l. quin etiam*, *ff. hoc tit.* Duarenus *ad hunc titulum*, *col.* 1. Hunnius *ad Treutlerum vol.* 1. *in tit. de judiciis*, *diſp.* 11. *theſi* 5. *q.* 26. quamvis enim nemo in cauſa propria, ſicut judex, ita nec arbiter eſſe poſſit, *l. penult. ff. hoc tit.* & cauſa patris credatur cauſa filii, cum adhuc eo vivente quodam modo dominus ſubſtantiæ paternæ judicetur, *leg. in ſuis* 11. *ff. de liberis*, *& poſthumis*, *§.* 2. *Inſtit. de heredum qualit.* & pro una, eademque perſona pater, & filius habeantur, *l. ult. C. de impub.* tamen quia in his, quæ publici juris ſunt, ut judicium, & compromiſſum, filius pro patre habetur, *lib. in privatis*, *ff. de judiciis*, nec attenditur patria poteſtas, *l. filius*, *ff. de his*, *qui ſunt ſui*, *vel alieni juris*, *l. nam quod* 14. *ff. ad Trebel. l. ait Prætor* 12. *§. ult. ff. de judiciis*: ideo filius in negotio etiam paterno arbiter recipi valet. Duarenus *ubi ſup.*

Nec intereſt cujus conditionis arbiter ſit, an videlicet infamis, vel libertinus, *l. Padius* 7. *ff. hoc tit.* Licet enim infames judices eſſe non poſſint, *c. infames* 3. *q.* 7. *l. unica*, *C. de infamibus*, *l.* 10. ubi plura Amaya: tamen arbitri eſſe valent, quia iſti a partibus eliguntur quaſi viri boni, *l.* 3. *§. tametſi*, *ff. hoc ti.* & arbitri nullam habent juriſdictionem, ſeu dignitatem ratione compromiſſi, ſed tantum ſimplicem notionem, ut docet Sanchez *t.* 2. *conſil. l.* 6. *c.* 3. *dub.* 5. *nu.* 11. unde partes ſibi imputare debent, quare infames in arbitros aſſumpſerint, *l. diem* 27. *§. ſtare*, *ff. hoc tit.* ſed ſi ipſi arbitri a partibus conviciis afficiantur, non coguntur ſententiam dicere, *l. ſed & ſi in ſervum*, *§. Julianus*, *ff. hoc tit.* Prohibentur autem expreſſe in jure arbitrorum officio fungi, primo ſervi, *d. l. Padius* 7. quia cum arbitria ſint juris civilis, *l. illa* 68. *ff. de V. S.* & quoad jus civile attinet, ſervi pro nullis habeantur, *l.* 1. *ff. de jure delib. l. quod attinet* 32. *ff. de R. I.* & ita a judicandi munere arceantur, *l. cum Prætor* 12. *verſ. moribus*, *ff. de judiciis*, *l.* 2. *ff. de Senat. l. unica*, *C. ad leg. Viſcell. c. ſciſcitatus*, *de reſcriptis*, ita neque arbitrium dicere valent. Duarenus *ad hunc titulum ff.* Donel. *l.* 28. *comm. cap.* 10. Sed ſi poſt compromiſſum a domino manumittantur, partibus conſentientibus arbitrium dicere poſſunt, quia conſenſus litigatorum operatur, ut tempore habili compromiſſum factum credatur, argumento textus *in l. unica*, *Cod. ſi Rector Provinciæ*, *d. l. ſed ſi in ſervum*. Etiam prohibentur jure Pontificio arbitrium dicere excommunicati, quia a communione fidelium arcentur, *c. ſignificaſti*, *cum vulgatis*, *de ſentent. excom.* Accedit, nam cum excommunicati ſententiam proferre non poſſint, *c. audivimus* 24. *quæſt.* 1. *c. prudentiam* 21. *§. ſexta*, *de officio deleg. c. ad probandum*, *de re judic. c.* 1. *de officio vicarii*, *l.* 6. niſi occulti ſint, *d. c. ad probandum*: ita nec poſſunt arbitrium dicere. Petr. Greg. *l.* 5. *partit. tit.* 4. *c.* 7. Etiam compromiſſum ſuſcipere prohibentur furioſi, ſurdi, & cæci, *diſt. l. cum Prætor* 12. Circa cæcos autem diſcrimen eſt conſtituendum inter cauſas, quarum juſtitia viſu cognoſcitur; ut ſi de finibus, vel comparatione litterarum agatur: & inter eas, quæ decidi poſſunt abſque ulla litterarum inſpectione: in his ſecundis ſicut judex, ita & arbiter cæcus eſſe poteſt *l. cæcus* 6. *ff. de judiciis*. Donel. *lib.* 17. *comm. c.* 14. ubi Oſualdus *litt. M*, Duarenus *l.* 1. *diſp. c.* 23. In prioribus vero cauſis arbiter recipi non poteſt, ſicut nec judex dari, *l.* 3. *C. de ſententiis ex periculo*. Docent Menochius, & Duarenus *ubi ſup.* Monachi etiam, qui ab actibus forenſibus removentur, arbitri dari non poſſunt, niſi de ſuperiorum ſuorum licentia, ut notant Interpretes *in c. præſentium*, 16. *q.* 1. P. Greg. *d. tit.* 4. *c.* 6. Etiam minores 20. annis arbitri eligi non poſſunt, *l. cum lege* 41. *ff. hoc tit.* late probavi *in c. cum vigeſimum*, *de officio deleg.* Etiam compromitti non poteſt in judicem ordinarium, ut exponemus *in c. cum tempore*, *hoc tit.* nec in laicos in cauſis ſpiritualibus, *c. dilecti* 4. ubi late illuſtravimus. Tandem feminæ particulares in arbitros eligi non poſſunt, ex noſtro textu, & ſupra relatis.

9 De infamibus, & aliis perſonis.

10 Traditur decidendi ratio. Quibus animadverſis jam apparet vera hujus deciſionis ratio; nam cum feminæ tantum moribus judicare prohibeantur, Cujac. *l.* 13. *obſerv. c.* 23. poteſt contraria conſuetudine introduci, ut feminæ dignitate præfulgentes juriſdictionem in proprios ſubditos exerceant, cum conſuetudo juriſdictionem non habenti eam tribuat, *c. cum contingat*, *de foro compet.* ſicut enim privilegio illis jurisdictio competere poteſt, Covar. *pract. q.* 31. *n.* 5. & *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 5. ita ſimiliter conſuetudine, quæ magis potens eſt ad abrogandum jus ſcriptum, vel non, quam privilegium, *c. conſuetudo*, *d.* 1. *c. ult. de conſuet.* igitur cum ſemota conſuetudine moribus feminæ prohibitæ ſint judices dare, *d. l. cum Prætor* 12. ita & arbitri recipi non poſſunt, quia arbitria redacta ſunt ad inſtar judiciorum, *lib.* 1. *ff. hoc tit.* At vero cum conſuetudine introductum reperitur, ut feminæ dignitate præfulgentes jurisdictionem exerceant, recte in eas compromitti valet ex ipſa exæquatione judiciorum, & arbitrorum.

11 Diſſolvitur difficultas. Nec difficultas ſupra adducta obſtat; verum enim eſt, feminam ſuccedentem in Regno, unde ſuperiorem non cognoſcit, poſſe juriſdictionem exercere in vaſſallos, & ſic in eam compromitti, nec tunc neceſſariam eſſe conſuetudinem, quæ tantum feminis præcellentibus poteſt juriſdictionem tribuere, non vero particularibus. Unde difficultas hujus decretalis in eo conſiſtit, quare videlicet Innoc. III. ſignanter meminit conſuetudinis Gallicanæ, cum jure communi inſpecto, juxta ſupra tradita poſſit in Reginam compromitti. Cujus difficultatis ſolutio provenit ex vera hiſtoria hujus textus ſupra relata; diximus enim Innocentium in præſenti non agere de aliqua Regina Regnum Galliæ poſſidente: non enim poterat ex lege Salica mulier in eo regno ſuccedere, ut probant Cironius *l.* 5. *obſerv. c. fin.* Tiraquel. *de primog. q.* 8. *n.* 40. Guillelm. Bened. *in c. Raynuntius*, *verbo Duas*, *n.* 72. *de teſtam.* Gomez *in l.* 79. *Tauri*, *in fin.* Erat Agnes tantum mater Philippi, unde cum Regnum

non poſſid ret, licet quia uxor erat Regis, Regina diceretur; ideo neceſsaria fuit Galliæ conſuetudo, ut in eam, tamquam in feminam præcellentem, compromitti poſset: docet, & ita accipit præſentem deciſionem Cyriacus *d. cont.* 401. *n.* 71.

12 Intelligitur c. Menam 2. q. 3. Adhuc præſenti deciſioni obſtat textus *in c. Menam* 2. *q.* 4. in illis verbis: *Et tuo committimus arbitrio:* ubi proponitur, cauſam Epiſcopi Menæ Brunichildæ Reginæ Francorum commiſſam fuiſse: quod merito difficile viſum fuit juris interpretibus, ſiquidem femina judicare non valet, ut in præſenti ſupponitur, præcipue de cauſa eccleſiaſtica, ut erat cauſa, de qua in eo textu. Sed huic difficultati facile fiet ſatis, ſi obſervemus, cui, & a quo in eo textu cauſa commiſsa fuit. Greg. enim Magnus Reginæ, coram qua infamatus erat Epiſcopus, eam commiſit: unde cum Princeps poſſit cauſam committere terminandam etiam feminæ, *c. ut ſæculi, v. Regia*, 12. *q.* 2. Blancus *de compromiſſis*, *c.* 2. *n.* 38. Ægidius Hortenſius *de privilegiis honeſt. art.* 2. *n.* 6. ideo virtute delegationis Pontificiæ potuit Regina in eo caſu de cauſa illa cognoſcere uſque ad compurgationem ipſius Epiſcopi, præcipue cum adeſſet infamatio coram ea, & femina præcellens eſſet, quæ ex conſuetudine Galliæ juriſdictionem ordinariam habebat.

13 Exponitur c. Quintavallis, de jurejur. Secundo præſenti aſſertioni opponi poteſt textus *in c. Quintavallis, de jurejur.* ubi proponitur, patrem quarumdam mulierum, quæ aliis feminis vicinis injuriam irrogaverant, compromiſſum feciſſe in eas, & juramento ſpopondiſſe, ſe illi ſatisfacturum, ſi iterum illius filiæ eas injuria afficerent, juxta ipſarum arbitrium; & cum iterata offenſione feminæ patri injunxiſsent, ut uxorem e domo ejiceret, filiaſque exheredaret, conſultus R. Pontifex decrevit arbitrium a feminis dictum non eſse ſervandum, utpote contrarium juri naturali. Ex qua facti ſerie deducitur, compromiſsum fieri poſse in feminam particularem: ſiquidem in eo textu non improbatur arbitrium a R. Pontifice, quia factum erat in feminas, ſed quia juri naturali opponebatur. Agnoverunt difficultatem omnes repetentes in eo textu, quos refert, & ſequitur D. Bajo-Arroyo in eo textu, *num.* 156. affirmantque, quod licet feminæ ut arbitrices eligi non poſſint, tamen ut arbitratrices eligi valent. Unde ajunt textum illum eſse accipiendum de feminis arbitratricibus. Sed hoc diſcrimen inter arbitrum, & arbitratorem, jure canonico eſse incognitum jam probavimus ſupra *in c.* 1. Quare hac ſolutione omiſsa dicendum eſt, in eo textu non agi de compromiſso, quod admitti non poterat: tum quia cauſa erat criminalis, in qua compromiſsum non admittitur, *c. penult. de in integ. reſtit.* tum quia in unum ex litigatoribus compromitti non poteſt, *l. penult. ff. hoc tit.* loquitur enim textus de promiſſione a patre facta, & juramento firmata, ſe ſatisfacturum mulieribus injuria affectis, juxta earum voluntatem: non quia ipſarum voluntas ſententia eſset, ſe tantum ſimplex æſtimatio injuriæ acceptæ. Unde eo ſenſu, quo æſtimatores in contractibus dicuntur arbitri, *l. fin. Cod. de contrahend. empt.* eo ſenſu mulieres illæ arbitrices dici poterant, non autem quia arbitrorum officio fungerentur.

C A P U T V.

Idem *Abbati & Conventui de* a *Pigavia*.

CUM tempore bonæ memoriæ C. *b* Pp. prædeceſſoris noſtri, tu fili Abbas ad Romanam Curiam acceſſiſſes, privilegium, & alia ſcripta meruiſti a Sede Apoſt. obtinere: & (ſicut a te accepimus) cum reverſus fuiſſes ad propria, privilegium dictum, & alia ſcripta in præſentia fratrum tuorum, & quorumdam Canonicorum *c* Mesburg. qui in defenſionem quorumdam monachorum illuc venerant, feciſti fideliter recitari; quod intelligens venerabilis frater noſter Mesburgen. Epiſcopus, nuntiavit, & ſcripſit Imperatori, te contra honorem Imperii ad Rom. Eccleſiam acceſſiſſe, & privilegium in ejus præjudicium impetraſſe. Unde motus *d* Imperator Curiam tibi indixit, & privilegium ſibi *e* præſentari præcepit, quod receptum noluit tibi poſtmodum reſignare: & dum in his, & aliis te per Epiſcopum gravari ſentires, appellatione interpoſita Sedem Apoſt. viſitaſti: a qua per nuntios commiſſionis litteris impetratis, partes judices citavere, in cauſa ipſa juxta formam mandati Apoſtolici proceſſuri. Verum dum hæc agerentur, venerabilis frater noſter *f* Magdeburgen. Archiepiſcopus ad petitionem Archiepiſcopi memorati de mandato Imperiali te ab officio, beneficioque ſuſpenſum a monaſterii adminiſtratione removit, & curam ejus duobus militibus aſſignavit. Unde timens Abbatiæ periculum provenire, cum & tibi periculum immineret ſuper controverſiis, quæ inter te, & Epiſcopum, & quoſdam monachos vertebantur, *g* arbitrium Archiepiſcopi te promiſiſti, fide in *h* manibus ejus hinc inde præſtita, ſervaturum. Sicque factum eſt, ut ipſe Archiepiſcopus, adjunctis ſibi tam clericis, quam *i* laicis, inter quos erat & *j* Dapifer Imperialis, ſub certa forma arbitrium promulgavit. Poſt hæc iterum Romam veniens, quæ facta fuerant, eidem prædeceſſori noſtro diligenter exponere procuraſti; cui, & adverſario tuo Cuſtodi Mesburgen. procuratori dicti Epiſcopi, nos ipſi cum eſſemus in minori officio conſtituti, & dilecti filii I. tit. S. *k* Stephani in Cœlio Monte, & I. tit. S. Priſcæ Presbyteri Cardinales deputati fuimus auditores: & tamdem auditis, quæ partes duxerant proponenda, ſub certa forma, de conſenſu partium cauſſa commiſſa fuit judicibus delegatis, videlicet ut de omnibus diligenter inquirerent, excepto quod indagationem libertatis ejuſdem monaſterii, cum duabus capellis, Apoſtolicæ Sedis examini per omnia ſervarent. Cumque ita judices delegati partes ad ſuam præſentiam auctoritate Apoſtolica evocaſſent, memoratus Epiſcopus delegatos ipſos ſuſpectos ſibi propoſuit, & cauſas ſuſpicionis multiplices aſſignavit. Conſequenter etiam eorum volens judicium declinare, Sedem Apoſtol. appellavit. Sed reverſus poſtmodum coram eiſdem ſacramentum calumniæ præſtitit, & teſtes produxit, petitis dilationibus, & obtentis. Ipſi ergo judices procedentes in cauſa, auditis utriuſque partis rationibus, & plenius intellectis, geſta omnia ſigillorum ſuorum munimine roborata ad Sedem Apoſtolicam deſtinaverunt, terminum partibus imponentes, quo receptura ſententiam Apoſtolico ſe conſpectui perſonaliter præſentarent: ad quam tu perſonaliter accedens, Epiſcopus pro ſe miſit dilectos filios H. Mesburgen. Canonicum, & B. S. Nicolai Mesburgen. Scholaſticum reſponſales: qui geſta, quæ delegati tranſmiſerant, nec publicari debere dicebant, nec fidem eis penitus adhibendam, cum & a ſuſpectis judicibus, & poſt appellationem legitime interpoſitam recepta fuerint, & deſcripta; parte tua contrarium poſtulante, præſertim quia (ut firmiter aſſerebat,) nuntii memorati perſonam ſtandi judicio non habebant, cum excommunicati eſſent, & Epiſcopo fuiſſet ſub pœna ſuſpenſionis injunctum, ut ad cauſam agendam in propria perſona veniret: quod cum non fecerit, pœnam ſuſpenſionis incurrit, quem prædicti nuntii propter ægritudinem, & ſenectutem perſonaliter ad Rom. Eccleſiam non poſſe accedere proponebant, alia quæ ipſis objecta fuerant, denegantes: qui pro ipſo Epiſcopo factum taliter proponebant, quod cum ab eo, tamquam a Prælato tuo Abbatiam, & Sacerdotium percepiſſes, ſicut fueras in jure confeſſus, propter pravam converſationem tuam ſuper multis enormitatibus cœpiſti a monachis conveniri: inter quos Epiſcopus pacem, & concordiam ſæpius reformavit, monens te, ut ad frugem melioris vitæ tranſires. Cum autem fratres per ea, quæ jugiter faciebas, de tua emendatione nullatenus jam ſperarent, contra te propoſuerunt in Synodo de dilapidatione, cum res monaſterii pauperum uſibus deputatas voluptuoſe conſumeres, & pro defectu neceſſariorum religio ibi penitus deperiret: te etiam de ſacrilegio, ſimonia, aliiſque multis criminibus impetebant, interdum coram Epiſcopo, quandoque in præſentia Card. quæ Epiſcopus tamdiu ſuſtinuit, quod monachis denegare juſtitiam dicebatur. Citatus exinde ab Epiſcopo nuntium miſiſti ſuper omni gravamine, quod tibi poſſet inferri, præſentiam Epiſcopi provocantem. Cum autem nec per te, nec per nuntium ad Archiepiſcopum acceſſiſses, ipſe Archiepiſcopus appellationi tam generaliter factæ in præjudicium Eccleſiæ judicavit nullatenus deferendum. Epiſcopus itaque habito prudentum conſilio citatum denuo te ab officio, beneficioque ſuſpendit. Interim ſuperveniens dilectus filius noſter I. tit. S. Stephani in Cælio Monte Presb. Card. tunc Apoſtol. Sed. Leg. ad dictam Abbatiam acceſſit, ut componeret inter te, & monachos memoratos. Sed te in villis proximis latitante, & magiſtro Ulrico allegante, dictus Card. latam in te ſuſpenſionis ſententiam confirmavit. Sic ergo latenter Romam veniens commiſſionis litteras, veritate tacita, & ſub ſpecie renovationis privilegii, quod nunquam hactenus habueras, impetraſti. Cumque judices delegati Epiſcopo ſuſpecti eſsent, & monachis, a quibus nec unius diei poterant inducias obtinere, appellatione interpoſita ab Epiſcopi nuntiis, ſtatim cum privilegium ſubreptitium legeretur, partes ſuos nuntios ad Sedem Apoſtol. tranſmiſerunt; de quorum aſſenſu cauſa tamdem fuit aliis conjudicibus ſub certa forma commiſsa, ſicut in commiſſionis litteris continetur. Sed cum omnes poſsent examinationi cauſæ propter nimiam diſtantiam intereſse dilectus filius N. Abbas de Go-

de Goizoch una cum venerabilibus fratribus noſtris, dicto Archiepiſcopo Balbergen. & N. Miſnen. Epiſcopo, & quamplurimis Eccleſiarum Prælatis, inter Epiſcopum, te, & monachos pacem, & concordiam reformavit. Iterum autem ad Rom. Eccleſ. latenter accedens, & proponens multa contra monachos, & Epiſcopum ad duos judicum, quos ſuperius Epiſcopo diximus eſſe ſuſpectos, & a quibus nuper ipſe Epiſcopus per nuntios appellaverat, commiſſorias litteras impetraſti; qui cum juſtas exceptiones Epiſcopi non admitterent, quas in continenti probare volebat, Sedem Apoſt. appellavit: ſed ipſis in cauſa nihilominus procedentibus, invitus acceſſit ad eos, timens ne ſua juſtitia deperiret. Cum autem poſt alia, quæ judices ipſi proprio motu fecerant, terminum publicandis atteſtationibus præfixiſſet, venientibus partibus unus tantum comparuit de judicibus cum alterius nuntio, qui nec habebat ad alios litteras, nec cavere volebat, quod dominus ſuus vices ſuas præſenti judici commiſiſſet. Sicque factum eſt, quod ſolus Numburgen. Præpoſitus, licet tribus ſigillis appoſitis, geſta deſcripſerat, quæ fuerunt ad Sedem Apoſt. deſtinata, unde dicebant fidem eis nullatenus adhibendam; & quia ipſum inſtrumentum relationis ipſorum judicum fuit in ſuperficie vitioſum, & datum ab eo, quem plurimis dicunt excommunicationis vinculis innodatum. Verum præmiſſa fere omnia pro Epiſcopi parte propoſita, tu veritate deſtitui firmiter aſſerebas. Quia vero memoratus Epiſcopus, eo quod juramentum præſtitit de calumnia, & a delegatis inducias poſtulavit, & teſtes coram eis produxit, appellationi renuntiaſſe videtur, & eorum examini conſenſiſſe: nos habito fratrum conſilio in præmiſſa incidenti quæſtione interloquuti fuimus, quod deberent quæ coram prædictis judicibus geſta fuerunt, publicari, ut ſecundum tenorem ipſorum noſtra tamdem ſententia formaretur. Tibi igitur, & procuratoribus Epiſcopi ſupradicti, venerabilem fratrem noſtrum O. *l* Oſtienſ. Epiſcopum, & dilectum filium P. tituli S. Ceciliæ Presbyt. Card. dedimus auditores: qui cum ea, quæ fuerant hinc inde propoſita, & oſtenſa, nobis, & fratribus noſtris fideliter retuliſſent; quia tam per confeſſiones, quam per atteſtationes legitime conſtitit, quod fide hic inde data, compromiſſum eſt in arbitrium Archiepiſcopi memorati, & quorumdam etiam aliorum: nos de conſilio fratrum noſtrorum ipſum arbitrium decernimus obſervandum, illis dumtaxat exceptis *m* capitulis, quæ contra libertatem ipſius monaſterii, & duarum capellarum ejuſdem in arbitrio ſunt expreſſa: cum etſi ſponte volueris, de jure tamen nequiveris ſine licentia Rom. Pontificis renuntiare privilegiis, vel indulgentiis libertatis, quæ monaſterium illud indicant ad jus, & proprietatem Rom. Eccleſiæ *n* pertinere: præſertim cum in ultimæ commiſſionis litteris contineatur expreſſum, quod ſæpedictus prædeceſſor noſter ſuper renuntiatione a te ſuper privilegio, & aliis ſcripto facta, nullum tibi, vel ſucceſſoribus tuis, aut etiam monaſterio, & duabus capellis de Pigavia præjudicium voluit generari. Quia vero in eiſdem litteris commiſſoriis expreſſit, quod indagationem libertatis ejuſdem monaſterii cum duabus capellis in eadem villa poſitis, Apoſtolicæ Sedis examini per omnia reſervavit, quidquid contra formam hujus mandati a delegatis prædictis actum eſt, revocamus, & viribus omnino carere cenſemus; reſervantes eidem Epiſcopo liberam facultatem, ut contra libertatem ipſius monaſterii ordine judiciario valeat experiri. Interim autem, donec ipſa quæſtio canonice terminetur, tu & monaſterium tuum non compellamini obedientiam eidem Epiſcopo exhibere, ſed in eo ſtatu maneatis, in quo poſt impetratum privilegium, & ante datum arbitrium dignoſcamini extitiſſe. Quoniam ergo perſonales injuriæ, quæ præceſſerant, per arbitrium ſunt ſopitæ, cum vos viciſſim in pacis oſculum receperitis, quæſtiones tam ſuper ablatorum reſtitutione, quam ſuper ſubjectione monaſterii duximus committendas. Nulli ergo, &c. Dat. Rom. apud S. Petrum III. Idus Julii, &c.

N O T Æ.

1 a DE *Pigavia.*) In tertia collectione, *ſub hoc tit. c.* 2. legitur *de Pigamia;* in ſexta vero collectione, *de Pignavia;* ſed legendum eſt *Pigavia*, ut habetur in ipſa Innoc. III. epiſtola apud Sirletum *p.* 147. ex qua integram hujus textus tranſcribimus. Monaſterium de Pigavia eſt Ordinis Divi Benedicti, in diœceſi Mesburgenſi, cujus Abbati reſcribit Innocentius in præſenti, & *l.* 4. *regeſtr.* 16. *ep.* 70. & 71. quo modo legendum etiam eſt *in c. fin. de probationibus*, ubi mentio fit hujus controverſiæ.

b *C. Pp.*) In tertia collectione legitur, *G. Pp.* ſed male; non enim Greg. ſed Cæleſtinus Innocentii prædeceſſor privilegium exemptionis huic monaſterio cum univerſa congregatione monachorum montis Virginis conceſſit, ut conſtat ex bulla ipſius exemptionis, quæ extat *tom.* 1. *Bullarii in ipſo Cæleſtino III.*

2 c *Mesburg.*) Ita legendum eſt, non *Magdeburg.* ut legitur in Decretalibus in hac ſexta collectione. Mesburgenſis enim diœceſis ſuffraganea eſt prædicti Archiepiſcopi, ut ex ejus textus ſerie facile conſtat,

d *Imperator.*) Federicus V. videlicet, qui floruit temporibus ipſius Celeſtini.

e *Præſentari percepit.*) Cum enim privilegium impetratur in præjudicium Regis, ſeu ejus Regaliæ, poteſt retineri, & executio ſuſpendi donec conſulatur Rom. Pontifex, qui illud conceſſit, ut probant Simancas *de Catholicis*, *tit.* 45. *n.* 35. Covarr. *pract. quæſt.* 36. *ſub num.* 12. Azevedus *in l.* 14. *tit.* 3. *l.* 1. *recupil.* pluribus relatis Salgado *de retent. bul.* 1. *p. c.* 5. *per totum.*

f *Magdeburg.*) De quo aliqua notavi *in c. cum dilecta* 22. *de reſcriptis.*

3 g *Arbitrium Archiepiſcopi.*) Licet jure civili inſpecto in judicem ordinarium, qui ratione propriæ juriſdictionis de cauſa cognoſcere poterat, compromitti non poſſit, ut docent Gothofredus *in l.* 3. *C. de teſtibus*, Briſonius *l.* 4. *ſel. c.* 2. Bartolus, Baldus, & Fulgoſius *in l.* 1. *§. conſentiant*, *ff. de judiciis*, Carleval. *t.* 1. *de judiciis*, *diſp.* 2. *q.* 8. *ſ.* 4. *n.* 213. idque lege Julia judiciaria cautum fuiſſe affirmant Ant. Aug. & Hotthomanus *in leg. Julia*; & probant ex lege *ſed ſi incertum §.* 2. *ff. hoc tit.* vel ut rectius Cujacius *l.* 3. *Pauli ad edict. in d. l.* 9. *§.* 2. Bachovius *in notis ad Treutlerum*, *tit. de arbitris*, *theſi* 3. *litt. F*, Argenteus *in conſuetudines Britanniæ*, *tit.* 18. *nota* 4. diſcrimen conſtituunt inter judices ordinarios, quales ſunt Prætores, Senatores, & Proconſules; & inter pedaneos, ſeu a Prætore datos; in primis affirmant jure civili inſpecto compromitti poſse, ut probatur ex lege 3. cum ſequenti, *ff. hoc tit.* ubi Conſultus affirmat, Magiſtratus ut ſententiam dicant, cogi non poſse, quia in ſuperiores inferiores imperium non habent: inferiores tamen cogi poſse, tametſi Magiſtratus ſint, ergo Magiſtratus ut arbitri recipi poſsunt. Id etiam perſpicue probatur ex lege, *nam & Magiſtratus*, *ff. hoc ti. l.* 4. *ff. de tutoribus*: quam expendit Duarenus *ad hoc titulum*. Cujus diſcriminis ratio ex eo provenit: nam cum judices pedanei a Prætore dati eſsent, & juxta formam ſibi præſcriptam judicare tenerentur, non poterant virtute compromiſſi mutare juriſdictionem, & poteſtatem: at vero ordinarii Magiſtratus, qui proprio jure non notionem, ſed juriſdictionem habebant, in arbitros eligi poterant. Quam judicum diſtinctionem cum parum percaluiſſent antiquiores in præſenti, & ſupra relati, communiter docuerunt in judicem ordinarium compromitti non poſse, quæ opinio adeo invaluit, ut Legislatores noſtri Hiſpani eam pro lege ſtatuiſsent *in l.* 24. *tit.* 4. *p.* 3. *l.* 13. & 17. *tit.* 5. *l.* 2. *recopil. l.* 9. *tit.* 6. *l.* 3. *ejuſdem recopil.* ubi diſponitur, ne Senatores, & ceteri ordinarii judices poſſint ut arbitri procedere in cauſis, in quibus ut ordinarii cognoſcere valebant: unde hodie in judicem ordinarium compromitti non poteſt, ut teſtantur Carleval *de judiciis*, *ubi ſup.* Greg. Lopez *in d. l.* 14. Azevedus *in d. l.* 9. Poteſt tamen harum legum ea ratio aſſignari; nam cum hodie ſententia ab arbitris prolata, ſi iniqua ſit, debeat reduci ad arbitrium boni viri, ut *in c.* 2. *hoc tit.* diximus, ſi ipſe eſset judex ordinarius ſimul & arbiter, non poſset ab eo ad ipſum per viam reductionis recurri, argumento textus *in c.* 2. *de conſuet. in* 6. Hæc tamen procedunt, tam de jure Cæſareo, quam Regio. Jure tamen noſtro Canonico judices ordinarii, qui alias de cauſa cognoſcere poſsunt, arbitri recipi valent, *cap. cum olim* 7. *capit. in nobis* 13. *hoc tit. cap. litteras*, *de præſumption. capit. niſi eſſent*, *de præbendis*, *capit. cauſam quæ*, *de electione*; notarunt Hunnius *ad Treutl. dict. tom.* 1. *theſi* 5. *diſp.* 11. Carleval. *ubi proxime*. Unde in præſenti recte compromiſsum in Archiepiſcopum alias judicem ordinarium fieri potuit.

h *Fide in manibus.*) Quod perinde habetur, ac ſi juramento firmatum eſset, ut diximus *in capit. ad aures*, *de his, quæ vi.*

i *Quam laicis.*) Ad conſilium præſtandum, non vero ad arbitrium dicendum; nam in laicos ſuper re ſpirituali compromitti non poteſt, *c. contingit*, *hoc tit.*

j *Dapifer.*) Videlicet qui dapes, ciboſque menſæ Imperiali apponit, unde Archidapifer Imperialis dicitur Comes Palatinus Rheni, qui tempore electionis quinque ſcutellas argenteas duodecim marcharum cibi repletas Regiæ menſæ imponit, *c.* 27. *§.* 4. *aureæ bullæ.* 4

k *I. tit. S. Stephani.*) Scilicet Joannes Salernitanus, Preſbyter Cardin. qui a Celeſtino III. Legatus miſsus fuit in Germaniam, & poſtea ab Innocentio Siciliam, & Angliam eadem functione inſignitus eſt, ut refert Spondanus *in continuat. Baronii*, *anno* 1198. *n.* 2. 5

l *O. Oſtienſem.*) Octavianum videlicet Cardinalem, qui etiam Legatus miſsus fuit in Siciliam ab Innocentio III. ut refert Spondanus *ubi ſup.* 6

m *Capitulis exceptis.*) Licet enim ſententia, quæ unicam tantum cauſam continet, pro parte valere, & pro parte infirmari non poſſit, *l. in hoc judicio* 23. *ff. familiæ erciſc.* & ſimiliter ſi plura continet capita, ſed connexa, vitiato uno vitietur aliud, *l. etiam* 30. *§.* 1. *de min.* Menochius *de arbitrariis*, *caſu* 93. *n.* 27. & *caſu* 95. *n.* 7. tamen ſi plura, & diverſa capita contineat, poteſt pro parte valere, & pro parte improbari, *c. dilectus*, *de præbendis*, *c. poſt appellationem*, *§. ſi quis ex pluribus* 2. *q.* 6. *lib. de unoquoque*, *ff. de re judic. lib. in fiſco* 44. *ff. de* judi-

judiciis; quod etiam procedit in arbitrio, ſeu arbitrorum ſententia; ſi enim compromiſſum diverſa contineat negotia, poteſt arbiter de unoquoque ſigillatim pronuntiare, & pro una parte defendi, pro alia vero improbari, *l. diem* 23. *§. ſed ſi, ff. hoc tit. l. ſi autem, §. fin. ff. de negot. geſtis*. Si vero de pluribus rebus ſimul compromiſſum fiat, & arbitrium dicatur, non poteſt pro parte valere, pro parte vero improbari, *lib. quid tamen* 25. *in princ. ff. hoc tit.* docent Blancus *de compromiſſis, q.* 9. Lanfrancus *eod. tr. p.* 5. *n.* 33. Baptiſta *eod. tr. l.* 9. *c.* 15. *n.* 1.

7 n *Pertinere.*) Sæpe ſæpius Summi Pontifices aliquot monaſteria ita Sedi Ap. ſubjecerunt, ut ab ea prorſus in omnibus penderent, illique in ſignum ſubjectionis aliquem cenſum perſolverent, qui hanc ſubjectionem teſtaretur, ut fecerunt Joan. Papa VIII. *l.* 8. *ep.* 15. Divus Greg. *l.* 7. *ep.* 69. quod de ſuo monaſterio Gaufridus Abbas Vindocinenſis refert, ac plurimum proinde libertatem illius adverſus Jvonem Carnotenſem aſſerit, *l.* 1. *ep.* 9. & de alio monaſterio ſic prodit Albertus Argentinenſis *in chron. ad annum* 1099. quoddam monaſterium S. Benedicti recens conſtructum exemptum fuiſſe a Sixto Papa, ita ut annuatim denarium aureum S. Sedi perſolveret: atque de cœnobis Hirſaugenſi, & Odenheimenſi, non ab ſimile ſcripſit Tritemius *in chron. Hirſaugienſi*. Nec omiſerim Henricum Primum Imperatorem, cum fundaſſet Epiſcopatum Bambergenſem tit. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Divi Georgii Martyris, illum tradidiſſe immediate Rom. Eccleſiæ, ita ut quotannis Epiſcopus mitteret Rom. Pontif. tamquam illius Eccleſiæ defenſori, equum phaleris adornatum, teſte Cuſpiano *in ejus vita*.

COMMENTARIUM.

8 Concluſio deducitur & probatur. EX hac ſatis diffuſa Innocentii epiſtola ſequens deducitur ab Interpretibus diſputanda aſſertio: *Exempti ſuper exemptione compromiſſum facere non poſſunt*. Probant eam textus *in c.* 2. *de in integrum reſtit. c. cum olim* 14. *verſ. Niſi igitur, de privilegiis, c. ſuborta, de re jud. l.* 3. *tit.* 12. *p.* 1. Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa in præſenti, Carballo *in c. Raynaldus*, 2. *p. n.* 348. *de teſt.* Balboa *in c.* 1. *de foro compet. q.* 1. *n.* 36. Bruno Chaſſaing *de privil. regul. tr.* 1. *c.* 5. *propoſ.* 2. P. Greg. *l.* 4. *p. tit.* 4. *c.* 3. Tamburinus *de jure Abbat. t.* 1. *diſp.* 15. *q.* 12. Salgado *de retentione bul.* 1. *p. c.* 13. *n.* 30. Barboſa *de poteſt. Epiſc.* 3. *p. alleg.* 123. *n.* 4.

9 Impugnatur tradita aſſertio. Sed hæc aſſertio difficilis redditur ſequentibus juris ratiociniis. Primum ita efformatur: Exemptio libertatis eſt, qua ſubditus eximitur ab Ordinarii juriſdictione, *c. nulla,* 93. *d.* gloſſa *in c. olim,* ubi Panormit. *de privilegiis*; ſed quilibet poteſt renuntiare privilegio ſibi conceſſo, *c. ad Apoſtolicam, de regul. c. ſi de terra, c. accedentibus, de privil.* igitur quilibet exemptus ſuper privilegia ſuæ exemptionis poteſt compromiſſum facere. Augetur hæc difficultas primo ex eo: nam cuilibet licet judicis non ſui prorogare juriſdictionem, & propria voluntate illi ſe ſubjicere, *c. P. & G. de officio deleg. l. ſi convenerit, ff. de judiciis*; igitur multo magis licebit exempto ſuper ipſa exemptione compromiſſum facere. Secundo fulcitur hæc difficultas, nam ſi exemptus non poſſet in præjudicium exemptionis compromiſſum facere, maxime quia privilegium exemptionis amitteret per tale compromiſſum, argumento textus *in c. cum acceſſiſſent, de conſtit.* ſed exemptus nec virtute compromiſſi exemptionem amittit, quia per unicum actum in contrarium factum privilegium non amittitur, *c. ſi de terra, c. accedentibus, de priv.* nec ſi arbitri adverſus exemptum in præſenti ſpecie arbitrium dicerent, ideo exemptio amitteretur: ſiquidem Abbas inconſulto Capitulo ſuper juribus ipſius monaſterii compromiſſum facere non poterat, *ex cap. pervenit, hoc tit.* docet Fragoſo *d. diſp.* 24. *n.* 33. igitur etſi compromiſſum in hoc caſu valeret, non ideo exemptiori derogabatur.

10 Non omnes compromiſſum faciunt. Adhuc defendenda eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, non omnes in arbitros conſentire, aut compromiſſum facere poſſe: illi enim, qui alienandi facultatem non habent, in arbitros convenire nequeunt, ut primo ſervi, *l. non diſtinguemus* 32. *§. ſi ſervus, ff. hoc tit.* in quibus adeſt & illa ratio, nam compromiſſum fit ſtipulatione, aut pacto: ſed ſervi ex ſtipulatione, aut pacto non poſſunt civiliter obligari, *l. quoties, ff. ſi quis cautionibus,* ex ratione textus *in l. quod attinet* 32. *ff. de R. I.* igitur nec compromittere. Secundo ob ſimilem rationem compromiſſum facere nequeunt impuberes, *leg. diem* 17. *§.* 15. *ff. hoc tit.* niſi tutoris auctoritas adſit, ut exponit Faber *in rationali ad eum textum:* item minores ſine curatoris auctoritate, & Prætoris decreto intercedente, ut pluribus relatis docet Narbona *de ætate, an.* 25. *q.* 40. *per totam:* ſimiliter furioſi, & prodigi compromittere non valent, *d. l. diem* 27. *§. coram;* nec etiam tutores, aut curatores ſine judicis decreto, prætermiſſis illis ſolemnitatibus, quæ in alienationibus reum minorum deſiderantur, niſi ſuper rebus mobilibus, quæ ſervando ſervari non poſſunt, ut poſt Bolognetum docent Fragoſo *de arbitris, diſp.* 14. *n.* 35. Hermoſilla *in lib.* 4. *gloſſa* 3. *tit.* 5. *p.* 5. Ob eamdem etiam rationem poſſeſſores primogenii, ſeu vinculi ſuper rebus ipſius majoratus non poſſunt compromittere, quia eas propria auctoritate alienare, aut de eis tranſactionem facere non poſſunt, argumento textus *in leg. non ſolum, C. de prædiis minor. l.* 1. *C. de officio procurat. Cæſaris:* docent Molina *l.* 4. *de primog. c.* 9. *n.* 7. Peregrinus *de fideicom. art.* 40. *n.* 129. pluribus relatis Carballo *in d. c. Raynuntius,* 2. *p. n.* 348. qui hanc doctrinam variis ampliationibus & limitationibus exponit. Circa vaſſallos, utrum idem jus ſervandum ſit, diſputant Interpretes. Affirmant Hunnius *in notis ad Treutl. de arbitris, q.* 25. Julius Clarus *verbo Feudum, q.* 38. *&* 33. Sed rectius contrarium docuerunt Peregrinus *d. art.* 40. *n.* 125. Molina ubi proxime, *c.* 9. *n.* 9. quorum ſententia probatur primo ex eo, quia vaſſallus non poteſt alienare rem feudalem invito domino, *c.* 1. *§. Imperialem, de prohibita feudi alien.* Sed per compromiſſum res feudalis alienatur, quia compromiſſum eſt alienatio, Mandoſius *in notis ad Lapum, alleg.* 102. *verbo compromiſſo*. Secundo quia in controverſia ſuper re feudali tantum dominus eſt judex competens, *c. ex tranſmiſſa, c. verum de foro compet.* ubi Cujacius, Balboa, Vega & Garanna. Tertio facit textus expreſſus *lib.* 2. *feudorum, tit.* 52. *&* 55. Hoc idem dicendum eſt de emphyteuta, nullo enim caſu citra domini conſenſum ſuper emphyteuſi compromittere valet, *auth. ſi vero, Cod. de judiciis:* probant Caldas Pereyra *de jure emphyt.* 4. *p. c.* 9. *n.* 30. Carballo *ubi ſupra, n.* 362. Idem reſolvendum eſt de Canonicis, & beneficiariis, qui non poſſunt in præjudicium ſuarum Eccleſiarum compromiſſum facere, cum tantum adminiſtratores ſint, non vero domini rerum Eccleſiæ, *c. pervenit* 3. *hoc tit.* Fragoſo *d. diſp.* 14. *de arbitris, n.* 33. tandem nec monachi ſine ſuperioris licentia compromiſſum facere poſſunt, *c. non dicatis* 12. *q.* 1. *c. placuit* 16. *q.* 1.

11 Traditur deciſſiva ratio. His animadverſis, præſenti deciſionis vera ratio ex eo provenit; nam cum exemptio a Romano Pont. conceditur monaſterio, non ſolum per eam eximitur ab Ordinarii juriſdictione, *c. recepimus, c. privilegia, de privilegiis,* late probavi *in c. licet, c. irrefragabili, de officio Ordinarii,* verum & Rom. Eccleſiæ immediate ſubjicitur. Unde Prælati ipſius debent renuntiare officiis, & dignitatibus, non in manibus Ordinarii, ſed potius R. Pontificis, *capit. ult. de renuntiat.* cui in omnibus, & per omnia parent, *c. exceptionem, c. ſi Papa* 10. *de privil.* unde cum in hujuſmodi exemptione duplex jus detur, exempti videlicet, ut liberetur ab Ordinarii poteſtate; alterum eximentis, ut habeat immediate ſubjectum monaſterium exemptum; inde non poteſt exemptus compromiſſum facere ſuper ipſa exemptione, ne jus eximentis per arbitrorum ſententiam lædatur ex facto exempti, contra textum *in c. nimis, de jurepatr.* Intereſt enim R. Pontificis, qui eſt immediatus ſuperior exemptorum, ipſos aliis non parere, nec ab aliis judicari ut docent Vivianus *in præſenti,* & Barboſa *de poteſtat. Epiſcop. alleg.* 123. *n.* 41. & alia in praxi non negligenda circa eos, qui ſunt ſub protectione Principum, adducit Martinus Magerus *advocat. armata*.

12 Diſſolvuntur difficultates. Nec obſtat difficultas ſupra pro dubitandi ratione adducta, quod enim dicebamus quemlibet poſſe renuntiare his, quæ pro ſe introducta ſunt, & per conſequens privilegio exemptionis, procedit dummodo hujuſmodi renuntiatio non tendat in alterius damnum, renuntiatio enim quæ alteri præjudicium affert, non valet. Valaſcus *de jure emphyt. q.* 27. *n.* 19. plures relati a Salgado *de retentione bullar.* 1. *p. c.* 13. *n.* 34. quare cum in præſenti ſpecie duplex verſaretur favor, exempti videlicet, & eximentis, non potuit exemptus per compromiſſum renuntiare juri exemptionis in præjudicium eximentis: & licet exemptus poſſit prorogare juriſdictionem judicis ordinarii, ut probat Sarravia *de juriſd. adjunct. q.* 7. *n.* 4. tamen id procedit, dummodo hujuſmodi prorogatio non tendat in damnum alterius, ut docent Gregorius Lopez *in l.* 2. *verbo Privilegio, tit.* 1. *part.* 2. Salgado *d. c.* 13. Nec etiam obſtat argumentum difficultatis, quo dicebamus, Abbatem inconſulto monaſterio compromiſſum facere non potuiſſe ſuper ipſius juribus exemptione videlicet. Cui ut aliqui ſatisfaciant, affirmant, Prælatos Eccleſiæ poſſe compromiſſum facere ſuper rebus, & juribus ipſius. Ita docent Speculator *in tit. de arbitris, §. reſtat,* Tiraquellus *de jure connub. gloſſa* 3. *n.* 109. Redoanus *de rebus Eccleſiæ, q.* 2. *c.* 1. *n.* 9. *&c.* 36. *per totum*. Moventur ex eo, quia compromiſſum ad inſtar judicii redactum eſt, *l.* 1. *ff. hoc tit.* & qui in arbitros conſentit, ut ſecundum juris ordinem cauſam dirimat, non dicitur alienare, ſed tantum petere declarationem juris proprii, vel alieni, *c. paſtoralis* 53. *§. verum, de appell.* Igitur Prælatus abſque Capituli conſenſu poteſt compromiſſum facere. Deinde quia alienatio, ſi proprie conſideretur, dominii tranſlationem importat, *l. alienationis* 27. *l. alienationis* 68. *ff. de V. S.* & ſi latius ſumatur, ut in titulis de rebus Eccleſiæ, & de rebus alienis, in Cod. Juſt. ſaltem deſideratur, ut jus aliquod hypothecæ conſtituatur, *l. ult. C. de rebus alienis, c. nulli, de rebus Eccleſiæ:* ſed per compromiſſum, aut arbitri ſententiam, nec dominium transfertur, aut aliquod jus hypothecæ conſtituitur; ſed tantum pœnæ petitio datur, *l.* 2. *ff. hoc tit.* igitur Prælatus inconſulto Capitulo poteſt compromiſſum facere. Accedit, nam jura, in quibus alienatio inhibetur, ut ſunt textus *in c. nulli, de rebus Eccleſiæ, l. ult. C. de rebus alienis,* nullam faciunt compromiſſi mentionem: igitur quia compromiſſum non comprehenditur ſub verbo alienationis. Sed pro hujus controverſiæ ſolutione placet ſententia Carbali ubi ſupra, *n.* 341. *&* 363. qui diſcrimen conſtituit inter caſum, in quo ex compromiſſo ſequitur alienatio; & inter eum, in quo nulla alienatio inducitur. Primo caſu compromiſſum non valere affirmat; ſecundo vero compromiſſum vires habere docet. Quando vero ex compromiſſo alienatio inducatur, late ipſe proſequitur.

13 Exponitur c. cum olim de præſcr. In hanc partem, & adverſus ſupra tradita vulgo opponi ſolent textus *in c. ſuborta, de re judic. cap.* 2. *de capellis monach. c. fin. de pœnit. & remiſſ. c. cum dilectus, de relig. domib. c. luminoſo* 18. *quæſt.* 2. quorum interpretationem tradit Balboa *in c.* 1. *q.* 1. *de foro compet.* & textus *in c. per venerabilem, qui filii ſint legit.* Cujus ſolutionem adducit Barboſa *in præſenti, n.* 7. His ergo miſſis, adverſus præſentem aſſertionem expendo textum *in c. cum olim, de præſcrip.* ubi proponitur controverſiam motam fuiſſe inter Lucanenſem Epiſcopum, & monaſterium S. Salvatoris ipſius diœceſis ſuper capellis, in quibus jura Epiſcopalia habere intendebat prædictus Epiſcopus; monaſterium vero opponebat Gregorii VII. privilegium, quo prædictum monaſterium exemptum erat a juriſdictione, & lege diœceſana, legitimaque præſcriptione etiam munitum eſſe conſtabat: Epiſcopus allegabat jus commune, quo fundatam habebat ſuam juriſdictionem erga omnes Eccleſias in ſua diœceſi conſtructas, *c. omnes* 16. *q.* 7. *c. monaſteria* 18. *qu.* 2. Etiam expendebat arbitrium electi; per quod prædictum monaſterium Epiſcopo ſubeſſe declaratum fuit. His, & aliis coram Innocentio propoſitis, ipſe monaſterium ab impetitione Epiſcopi, & juriſdictione liberum declaravit. Ex qua facti ſerie expreſſe colligitur, ſuper exemptione compromiſſum fieri poſſe ab exemptis. Pro cujus difficultatis ſolutione varia adduxerunt Felinus, & Panormit. in eo textu. Quibus omiſſis reſpondendum eſt, compromiſſum in eo textu factum non fuiſſe ſuper exemptione, aut re exempta; tantum enim Abbas monaſterii aſſeverat, ipſum monaſterium privilegio Gregorii VII. fuiſſe exemptum; non autem inde evincitur, fuiſſe etiam exemptas capellas, ſuper quibus compromiſſum fuit, & lis vertebatur; non enim capite exempto, membra etiam exempta videntur, *c. ex ore* 17. *c. cum capella, de privilegiis,* ubi exempto monaſterio, capellæ Epiſcopo ſubſunt: docet Boſquetus *in notis ad Innocentium, l.* 1. *ep.* 9. Quare cum *in d. c. cum olim,* capellæ exemptæ non fuiſſent, recte potuit Abbas ſuper eis compromiſſum facere, quia nullum ex eo præjudicium irrogabatur exempto, aut eximenti. Alia quæ ad ipſius textus conciliationem cum capite *cum ſatis, de officio Archid.* ſpectant, tradit Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 127. *n.* 11.

14 Exponitur c. cum veniſſent, de in integr. reſtit. Secundo adverſatur textus *in cap. cum veniſſent, de in integrum reſtit.* cujus ſecunda pars extat *in cap. cum veniſſent, de judiciis,* ubi proponitur monaſterium Rothonenſe, quod ex privilegiis Leonis, Gregorii, & Clementis ad jus, & proprietatem Rom. Eccleſiæ pertinebat, Prælato deſtitutum fuiſſe; & cum ſuper electione Abbatis fuiſſet mota controverſia inter Epiſcopum proprium, & monachos monaſterii, partes conſenſerunt in duos judices, qui de cauſa cognoſcerent, qui ſententiam diffinitivam protulerunt: ſed quia privilegium prædictum procurator monaſterii in judicio non propoſuit, in integrum reſtitutio monaſterio conceſſa fuit. Ex quo textu aperte deducitur, monaſterium exemptum, & Rom. Pontifici immediate ſubjectum, poſſe conſentire in judices inferiores: igitur & in arbitros compromittere. Cui difficultati reſpondendum eſt, in eo textu non agi de arbitris, neque de compromiſſo facto ſuper exemptione; ſed tantum de electione Abbatis coram judicibus a Sede Apoſt. impetrata diſceptatum eſt. Sed quia agebatur de viribus prædicti privilegii, cauſæ illius deciſio tantum ad Rom. Pontificem ſpectabat, *d. c. cum veniſſent, de judiciis,* docent Morla *in emporio, tit.* 5. *n.* 18. Berojus *in c. quoniam, de jurepatr. & in d. c. cum veniſſent; n.* 18. *de judiciis*.

CAPUT VI.

Idem *Priori S. Andreæ, Abbati de Beroth, T. Priori, Archid. & Magiſtro A. Officiali S. Andreæ.*

CUM dilect. f. b. *Et infra*: Unde utrum coram arbitris reconventioni ſit locus, poſtulaſtis per Sed. Ap. explicari. Nos igitur diſc. v. ſuper primo articulo taliter reſpondemus, quod licet in judicio convenientem reconvenire valeat is, qui coram judice convenitur; coram arbitris tamen reconvenire non poteſt, cum arbitri judicare valeant, niſi de iis tantum, ſuper quibus in eos extiterit compromiſſum.

NOTÆ.

1 S *Andreæ.*) Ita reſtituo inſcriptionem, & litteram hujus textus ex tertia collectione, ubi *ſub hoc tit. c.* 3. reperitur hæc decretalis. Epiſcopatus S. Andreæ eſt in Regno Scotiæ, immediate ſubjectus Rom. Pontifici, quia omnes Epiſcopi ipſius Provinciæ ſubſunt immediate Rom. Sedi, ut notavit Boſquetus *ad Innoc. III. l.* 1. *ep.* 129.

b *Et infra.*) Aliæ partes hujus decretalis reperiuntur *in c. cum dilectus* 6. *de cauſa poſſeſſ. c. cum dilectus, de fide inſtrumen.* ex quibus reſtitui poteſt præſens epiſtola.

COMMENTARIUM.

2 Concluſio traditur, & probatur. EX hoc textu talis deducitur: aſſertio: *Coram arbitris reconventioni locus non eſt*. Probant eam textus *in l. Pomponius, §. idem Pomponius, ff. hoc tit. l.* 23. *tit.* 4. *part.* 3. Illuſtrant Cujacius *l.* 12. *Pauli ad edict. in l. non diſtinguemus, §. de officio, ff. hoc tit.* Faber *in rational. ad ipſum §.* Menochius *de arbitr. l.* 1. *c.* 44. Maranta *de ordine judic. p.* 4. *diſt.* 6. *nu.* 20. plures relati ab Oſualdo *l.* 17. *comment. Donelli, c.* 18. *littera M,* Fragoſo *de regimine Chriſt. Reip. tr. de arbitris, diſp.* 14. *n.* 4. Azevedus *in l.* 4. *n.* 180. *tit.* 21. *l.* 4. *recopil.* Duarenus *ad hunc titulum, c.* 1. *pag.* 145. Petrus Barb. *in l.* 1. *art.* 1. *n.* 60. *de judiciis*. Fermoſſinus *in ca.* 1. *de mutuis petitionibus, q.* 2. Aug. Berojus *ibi, q.* 2. *&* 3. Anſaldus *de juriſd. q.* 3. *c.* 9. *n.* 46. Bernardus Urſinus *de reconventione c.* 22. & alii laudandi *c. ... de mutuis petit.* Alteſſera *in præſenti*.

3 Impugnatur hæc aſſertio. Sed hæc aſſertio difficilis admodum redditur ſequenti conſideratione; nam valde conſonum eſt rationi, & juris diſpoſitioni, ut actor, qui arbitrum in ſua cauſa elegit, ipſum contra ſe arbitrum ſuſtineat. Rationi, quia ipſum elegit, & ſic recuſare non debet, *l. Papinianus* 14. ibi: *Cujus enim in agendum obſervat arbitrium, eum habere contra ſe judicem in eodem negotio non dedignetur; C. de ſententiis, & interl.* quæ verba reperiuntur apud Gratianum *in c.* 1. *§. cujus,* 3. *q.* 6. cum enim contra reum cum probaverit, & elegerit ex conſenſu proprio, & pro reo, contra ſe judicem, vel arbitrum habere debet, *l.* 1. *ff. quod quiſque juris, c. cum omnes, de conſtit.* igitur coram arbitris reconventioni locus eſt. Accedit, nam mutua petitio, etſi in modum actionis proponatur; tamen defenſionem continet, *l. neque* 6. *C. de compenſatoribus:* & pars eſt ipſius negotii principalis, *d. l. Papinian.* 14. ibi: *In eodem negotio*. Igitur cum totum negotium decidi, & diſceptari debeat coram judice, ſeu arbitro, ubi cœptum eſt, *l. ubi cœptum, ff. de judic.* ſi coram arbitrio negotium cœptum eſt, coram ipſo & reconventionis cauſa tractanda eſt. Juri etiam conſonum eſt, ut coram arbitris mutua petitio admittatur; nam judices delegati, quorum juriſdictio ſtricta, & odioſa eſt, *c. olim* 32. *de officio deleg. c. Rodulphus, c. ſignificavit, de reſcriptis,* cognoſcere poſſunt de reconventionis cauſa, & mutuas petitiones admittere, *c.* 1. *&* 2. *de mutuis petit.* igitur & arbitri de cauſa reconventionis cognoſcere valent.

4 Traditur ratio decidendi. Qua difficultate ita fulcita non obſtante, vera eſt præſens deciſio, cujus ratio ex eo provenit, nam arbitri ſuper rebus tantum in compromiſſo comprehenſis arbitrium dicere poſſunt, *l. non diſtinguemus* 32. *§. de eo, l. de rebus* 46. *ff. hoc tit.* illud enim in arbitrio venit, quod in compromiſſo expreſſum eſt, *l. ſi cum dies, §. plenum, d. l. non diſtinguemus, §. ult. lib. arbiter* 50. *ff. hoc tit.* Sicut enim judex datus de alio negotio cognoſcere non valet, quam ſuper quo datus eſt, *l.* 1. *C. ſi a non competenti judice;* nec procurator alia negotia tractare valet, quam ſibi mandata, *ſi maritus* 21. juncta lege *ſi procurator, C. de procurat.* ita arbiter de alio negotio, quam in compromiſſo comprehenſo judicare non poteſt, *d. l. non diſtinguemus, §. de officio*. Quare cum arbitri tantum de expreſſis in compromiſſo judicare tantum poſſint, mutuas petitiones, & reconventiones, quas quilibet judex ordinarius admittit, ipſe admittere non valet. Sed licet hæc deciſio procedat, cum aliud, quam quod comprehenſum eſt in ipſo compromiſſo, principaliter petitur; tamen ſi incidenter aliquid emergat dependens a principali negotio, recte de eo arbitri cognoſcere poſſunt, ut ſi reſtitutio in integrum petatur: poteſt arbiter eam concedere, *c. penult. de in integrum reſtit.* Item arbiter pronuntiare poteſt ſuper intereſſe ipſius rei, etiamſi de eo in compromiſſo non ageretur, *d. l. non diſtinguemus, §. item non eſt cogendus*. Ratio eſt, quia rei intereſſe tacite ineſt in ipſo compromiſſo. *l. utique* 2. *ff. de R. V. l. ſervus, ff. judicatum ſolvi*. Similiter etiam ſuper fructibus poſt litem conteſtatam perceptis pronuntiare poteſt: ſunt enim fructus ſemper acceſſorii, ſive obligationis jure, ſive officio judicis debeantur; adeo ut ſi per errorem perperam judicatum ſit de fundo contra poſſeſſorem, debeat judex eodem errore de fructibus quoque pronuntiare, ac poſſeſſorem condemnare, *l. ex diverſo* 35. *§.* 1. *ff. rei vindic.* Accedit, nam arbitri officium eſt totam controverſiam dirimere, *l. qualem* 19. *§. dicere, ff. hoc tit.* ſed lis deciſa dici non poteſt, quamdiu ſupereſt quæſtio de fructibus: igitur arbiter de fructibus rei compromiſſo comprehenſæ cognoſcere valet. Docent Gloſſa, & Abbas *in præſenti,* Molina 6. *t. de juſtitia, tr.* 9. *diſp.* 44. *n.* 6. Faber *in rationali ad textum in d. §. de eo,* Blancus *de compromiſſis c.* 9. *n.* 80. Baptiſta *eod. tr. c.* 16. Apud nos eſt expreſſa lex 32. *tit.* 4. *par.* 3. ubi notarunt Montalvus, & Greg. Lopez. De his ergo, quæ acceſſorie, aut incidenter emergunt, ut de exceptionibus, quæ cauſæ cognitionem impediunt, de expenſis litis, poſſunt arbitri pronuntiare: de aliis vero rebus compromiſſo non expreſſis, etiam per viam mutuæ petitionis cognoſcere non valent.

5 Reſpondetur difficultati ſupra adductæ. Nec difficultas ſupra adducta refragatur; nam cum ſtricta ſit arbitri poteſtas a partibus conceſſa, ex illa rationis identitate, quia ipſe videlicet elegit, ad alias res compromiſſo non comprehenſas extendi non debet, præcipue cum non ſolum ipſe actor, verum etiam & reus illum ſimul elegerit: quare non recte adaptatur ratio textus *in diſt. l. Papinianus*. Nec quod dicebamus, mutuam petitionem, ſeu reconventionem, camdem cauſam eſſe, verum eſt; licet enim ad idem nego-

negotium ſpectet virtute reconventionis, *d. l. Papinianus*; tamen non eſt eadem controverſia ac illa, de qua compromiſſum fuit. Difficilius eſt, quod de judice delegato expendebamus: certum enim eſt, coram eo reconventionem dari, non autem coram arbitro. Rationem diſcriminis aliqui ex eo petunt, quod reconventio locum non habet niſi apud judicem, quem ſolus actor elegit, ut probat textus ſic communiter acceptus *in d. l. Papinianus, in fine*; ſecus vero ſi ambo judicem eligant, quia ceſſat ratio dictæ legis, & per conſequens reconventio. Unde cum arbitri utriuſque litigantis conſenſu eligantur, *c. 1. hoc tit.* delegatus vero judex ſæpe ſæpius ad ſolius auctoris petitionem detur, inde coram arbitris reconventio ceſſat: coram delegatis vero admittitur. Ita docent Panorm. *in præſenti, n. 6. & in cap. 1, de mutuis petit. notab. 1. & 2.* Barboſa *in l. qui prior, n. 42. ff. de judiciis*, Cardoſo *in praxi, verbo Reconventio, n. 9.* Maranta *de ordine judic. diſp. 5. n. 7.* Sed hæc differentiæ ratio convincitur, primo quia coram judice ordinario rei, quem actor non elegit, ſed neceſſitate juris adire cogitur, cum ejus forum ſequi teneatur, *c. cum ſit generale, de foro compet.* reconventio admittitur, *c. 2. de mutuis petitionibus*: igitur verum non eſt, tantum admitti reconventionem coram judice ab actore tantum electo. Secundo certum eſt, apud judicem prorogatum ex conſenſu utriuſque partis habere locum reconventionem. Gloſſa *in libr. etſi receptum, ff. de juriſd.* ubi Oroſius Zaſius *l. 2. ſingul. c. 27.* & tamen in ea ſpecie non eligitur judex a ſolo actore, ſed etiam a reo, *l. 2. ff. de jud.* igitur coram judice ex partium conſenſu electo reconventioni locus eſt.

6 Traditur vera ſolutio. Omiſſa igitur prædicta differentiæ ratione, verius reſpondendum eſt, arbitrium non poſſe de mutua petitione cognoſcere, aut coram eo reconventionem fieri; quia cum poteſtas ipſius omnino pendeat a partium compromiſſo, lex aliquam prorogationem non induxit ad ea, quæ comprehenſa non ſunt in ipſo compromiſſo, ne contra mentem compromittentium aliquid ſtatuatur, cum compromiſſa maxime ſtricta ſint. Gloſſa ultima *in c. cum ſecundo, de officio deleg.* unde proviſio partium compromittentium ſuper certa cauſa tollit proviſionem legis, argumento textus *in l. ult. C. de pactis conventis*; at vero in delegato, quia juriſdictionem exercet, & ita publicam auctoritatem habet interpretandam juxta communes juris regulas, & mentem delegantis, merito lex ipſa prorogationem inducit, per quam poteſtas illa extenditur ad cauſam reconventionis, *de d. cap. 1. de mutuis petit. d. l. cum Papinianus*; & hoc eſt, ſi attente legatur præſens deciſio, quod Innocentius innuit, dum docet reconventionem in arbitris ceſſare, quia eorum poteſtas verſatur tantum circa expreſſa, & lex nullam prorogationem inducit; ſine extenſione autem poteſtas arbitrorum ad reconventionem trahi non poteſt: quod ſecus procedit in judice delegato cujus poteſtas extenditur per legem, ita ut cognoſcere poſſit non ſolum de expreſſis in reſcripti tenore, verum de aliis, quæ per extenſionem legis ex æquitate includuntur: & ita ratio defenditur noſtri Innoc. III. quam diminutam, nec concludentem eſſe exiſtimarunt Panormit. hic, *n. 6.* Jaſo *in d. l. eſt receptum, n. ult.* ubi Oroſius *n. 14.* unde deducitur arbitros juris ſuſceptos ex juris neceſſitate, qui æquiparantur judicibus delegatis, *c. arbitris, de officio deleg. in 6.* poſſe adiri per viam reconventionis, quia amplam ex juris diſpoſitione accipiunt poteſtatem, ut pluribus relatis docent Ripol. *variat. reſol. cap. 4. n. 66.* Anſaldus *de juriſd. p. 3. tit. unico, c. 9. n. 15.* Urſinus *d. c. 12. n. 18.*

7 Exponitur l. non diſtinguemus §. item ff. hoc tit. Sed adhuc ſupra dictæ aſſertioni obſtat textus *in l. non diſtinguemus 32. §. item ſi quis, ff. hoc tit.* ubi agitur de Legato Romæ degente; & quæritur, an ſi compromiſſum fecerit, poſſit petere ut arbiter ſententiam ferat? Et affirmat Paulus, ipſum petere poſſe, ut arbiter dicat ſententiam, quia etſi judicium ſuſceperit, cogetur peragere, perindeque haberi, ac ſi Legatus velit actionem dictare, quod ei facere licet. Hoc autem compromiſſum comparandum eſſe actioni ordinariæ, Paulus docet, videlicet ut ſicut Legatus agens ordinaria actione, cogitur reconventus ſe defendere, ita in compromiſſo non magis admittatur Legatus deſiderans, ut arbiter ſententiam dicat, quam ſi ſe defendat. Ex quibus verbis deducitur, Legatum compromittentem poſſe reconveniri coram arbitro; igitur quia arbitri cognoſcere poſſunt de mutua petitione. Difficile etiam eſt idem Pauli reſponſum, dum docet, Legatum pendente legatione, poſſe actiones ſuas intentare, cum certum ſit juris principium, Legatum, dum legationis cauſa Romæ moratur, in judicio agere non poſſe, niſi injuriam propriam proſequatur, *l. Paulus 8. §. fin. cum lege ſequenti, ff. de legationibus*: igitur *in d. §. item Legatus*, nec actiones intentare, nec petere ut arbiter ſententiam diceret, poterat. Primæ difficultati reſpondendum eſt, in eo §. non affirmari, Legatum ſe defendere debere in cauſa reconventionis coram arbitro, ſed tantum cogi ſe defendere, videlicet coram judice ordinario, quaſi dicat Paulus: Legatus poteſt poſtulare, ut arbiter ſententiam dicat, ſi paratus ſit defendere coram judice ordinario, non autem coram arbitro, coram quo reconventioni locus non eſt, ut docuit Urſinus *de reconventione, c. 22. nu. 16.* Secundæ difficultati variis modis ſatisfacere intendunt juris Interpretes. Cujacius *l. 22. obſerv. c. 22.* exiſtimat, in eo textu addendam eſſe negationem, ut legatur, *ſi actionem velit dictare, quod ei facere non licet*. Div. Joannes Suarez *ad legem Aquil. lib. 4. capit. 7. ſect. 2. n. 7.* affirmat, Legatis non licere actiones ſuas exercere, dum in legatione morantur; ſub pœna dumtaxat deſertæ legationis; quia ea impoſita negotia privata a Legatis geſta vires habent, nec ipſo jure nulla ſunt. Aliter ſatisfacit Oſualdus *l. 17. ad Donell. c. 18.* qui ait, Legatum non poſſe negotia etiam ſua curare, cum de publico jure, & officio Legati quæritur, *d. l. Paulus, cum ſeq.* cum vero de jure privato agit, licere illi actionem dictare. Sed hæc, & alia latius examinabimus *in c. final. de foro competenti.*

Secundo opponi poteſt textus *in l. qui arbiter 20.* alias *l. ſi cum dies, §. plenum, ff. hoc tit.* ubi poſtquam Papinianus diſſeruit, quod dicatur plenum arbitrium ad hoc, ut de omnibus controverſiis arbitri cognoſcere poſſint, in calce textus illum caſum exagitat, in quo actum eſt, ut una tantum res veniat in compromiſſum. Et affirmat Conſultus, eo caſu neceſſarium eſſe exprimere in compromiſſo, ut de illa tantum re arbiter ſententiam dicat, ut de aliis ipſe cognoſcere non valeat: igitur ultra mentem, & voluntatem compromittentium licet arbitris de cauſis, de quibus actum non erat, ut cognoſcerent, arbitrium dicere; alias ad quid expreſſio illa, cum ſuperfluo adjiciantur, quæ tacite inſunt, *l. cum quidam 3. ff. de rebus creditis*. Cui difficultati reſpondendum eſt cum Fabro in ejus textu rationali, quod in eo texto tutius judicatur, ut exprimatur controverſia, ſuper qua compromiſſum ſit, non quia neceſſaria ſit expreſſio, ſed ad tollendum omne dubium, quod ex compromiſſo, ubi res expreſſa non eſt, oriri poterat. Unde ex eo textu recte Interpretes deducunt, abundantem cautelam non nocere: quod principium etiam probatur *ex lib. ſi ſervo, ff. de adimend. legat. lib. teſtamentum 12. Codic. de teſtamentis.* 8 Intelligitur l. qui arbiter, ff. hoc tit.

C A P U T VII.

Idem *Rectori & Fratribus Hoſpitalis S. Bartholomæi a Lucani.*

CUM olim ſuper eligendo in hoſpitali veſtro Rectore, & Fratribus, inter vos, & Priorem S. Barthol. Lucan. coram judicibus delegatis quæſtio verteretur, & utraque pars in *b* eos compromittens ipſorum arbitrium ſe promiſerit ſervaturam, ſuper prolato ab ipſis arbitrio, utrinque dubitatio eſt exorta, quam petiiſtis per Sed. Ap. declarari. Nos igitur publico inſtrumento arbitrium continente diligenter inſpecto, cognovimus, quod ſecundum formam arbitrii Prior S. Bartholomæi Lucan. tenetur *c* habere conſilium cum familia Hoſpitalis ejuſdem, & tractare cum ea de inveniendo Rectore. Propter quod dicimus, quod niſi Prior ſuper inveniendo Rectore tractaverit cum familia Hoſpitalis, & ipſius conſilium requiſierit, non habet poteſtatem eligendi Rectorem: & ſi alio modo eum elegerit, ejus electio debet haberi irrita, & inanis. Verum habito cum familia ſuper hoc conſilio, & tractatu, Prior libere poteſt Rectorem eligere dumtaxat idoneum, ſive concordet, ſive diſcordet familia cum ipſo ſuper inventione Rectoris.

N O T Æ.

1 a LUcan.) De Lucanenſi civitate, & rebus Eccleſiaſticis ad eam pertinentibus plura adduxi *in c. cum cauſa 27. de elect.* Præſens textus etiam reperitur *in capit. 4. hoc tit. in 3. collection.*

b *In eos compromittens.*) Inter electionum enim formas a jure approbatas recenſetur electio per compromiſſum, quam illuſtravi *in c. cauſam, de elect.* 2

c *Habere conſilium.*) Hæc verba, & præſentem textum expoſui *in c. cum in veteri 52, de elect.* 3

C A P U T VIII.

Idem *in Concilio a generali.*

COntingit interdum, quod cum actor. *Et infra:* Ad hoc generaliter prohibemus, ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laicum, quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur.

N O T Æ.

2 a GEnerali.) Lateranenſi videlicet celebrato ſub Innoc. III. de quo aliqua notavi *in c. 1. de ſumma Trinitate*. Præſens textus reperitur in ipſo Concilio, *cap. 40.* cujus priora verba reperiuntur *in c. contingit, de dolo & contum.* & poſt illum textum ſtatim ſubjiciuntur hæc verba: „ Ad hæc „ generaliter prohibemus, ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laicum, quia non decet, ut laicus in talibus „ arbitretur. “ Quæ etiam reperiuntur in quarta collectione, „ *ſub hoc tit. c. 1.*

COMMENTARIUM.

1 Concluſio illuſtratur. EX hoc canone ſequens deducitur aſſertio: *Laici, licet ut arbitri in cauſis temporalibus etiam a clericis recipi poſſint, tamen in ſpiritualibus aſſumi non valent*. Probant textus *in c. pervenit 3. c. dilecti 4. c. per tuas 9. c. expoſita, hoc tit.* Illuſtrant plures congeſti a Barboſa *in collect. & t. 7. in ſelectis ad hunc textum*; quibus addendi ſunt Petrus Greg. *l. 4. practic. tit. 4. c. 5.* Martha *de juriſd. 4. p. centur. 2. c. 120.* Angujanus *de legibus l. 2. c. 23.* Brito *de locato, 2. part. ad principium, pag 216.* Vega, Baboa, & Garanna *in c. 2. de judiciis*, Lambertinus *de jurepatron. 3. par. q. 5. art. 1.* Hermoſinus *in c. quanto 3. de judiciis, q. 4.* Covarr. *de ſponſalibus, 2. part. c. 8. §. 2. n. 2. & pract. q. 34. n. 1.* Maranta *de ordine judic. 4. par. d. 13.* Fragoſo *de regimine, t. 1. l. 5. diſp. 14. n. 34.* Caniſius *in præſenti*, Vela *2. tomo, diſſert. 35. n. 9.*

2 Traditur ratio dubitandi. Sed in contrarium pro dubitandi ratione non leviter inſurgi poteſt ex eo, nam licet arbitria redacta ſint ad inſtar judiciorum, *l. 1. ff. hoc tit.* hoc tamen procedit quoad effectum, non vero quoad modum procedendi: judices enim ratione juriſdictionis procedunt: arbitri vero per viam miniſterii. Unde arbitri nec judices ſunt, nec publicam exercent juriſdictionem, quam partes illis dare nequeunt, *l. aut Prætor, §. 1. ff. de re judic. l. privatorum, C. de juriſd.* quare arbitris obtemperatur potius metu pœnæ, quam ob imperium ipſorum, *c. dilecti, hoc titul.* igitur licet laici in negotiis Eccleſiaſticis judices eſſe nequeant, *c. decernimus*, cum vulgatis, *de judiciis*; arbitri tamen, cum nullam exerceant juriſdictionem, eſſe poſſunt. Accedit nam delegati, & arbitri æquiparantur, *c. penult. de in integrum reſtit.* ſed laicis poſſunt delegari cauſæ Eccleſiaſticæ, *c. Menam 2. q. 5.* Docent Covarr. *in c. alma, 1. part. §. 11. n. 3.* Garcia *de nobilit. gloſſa 9. n. 23.* Hugolinus *de cenſuris, tabul. 1. c. 1. §. 10.* Suarez *eod. tr. diſp. 2. ſect. 3.* igitur & arbitri in eiſdem cauſis recipi poſſunt. Augetur deinde hæc difficultas, nam laici aſſeſſores eſſe poſſunt in cauſis Eccleſiaſticis, *c. ſtatutum, §. aſſeſſorum, de reſcript. l. 6. l. conſiliarios, C. de officio aſſeſſ.* docent Barboſa *t. 6. in ſelect. ad hunc textum*: ergo laici etiam ut arbitri recipi poſſunt. Tandem augetur hæc dubitandi ratio *ex c. dilecti, c. expoſita, hoc tit.* ubi docetur laicos in cauſis Eccleſiaſticis arbitros eſſe poſſe.

3 De diverſis cauſis. Qua dubitandi ratione ſic fulcita non obſtante, vera eſt præſens conſtitutio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, cauſas in judicio contingentes, alias eſſe Eccleſiaſticas, alias temporales, miſtas alias, *c. 2. 4. q. 1. c. ſuper eo, de officio deleg. c. cum ſit generale*, juncti gloſſa finali, *de foro compet.* docent Martha *de juriſdict. 2. part. c. 1.* Simancas *de catholicis, titul. 36. num. 1.* & nos dicemus *in c. decernimus, de judiciis*. Ex quibus Eccleſiaſticæ dividuntur in Eccleſiaſticas ſpirituales meras, & in Eccleſiaſticas non meras. Meræ Eccleſiaſticæ ſpirituales dicuntur, quæ per ſpiritualem cognitionem diſcutiuntur, ut docent Martha *d. c. 1. n. 1.* Suarez *in defenſione fidei, l. 4. c. 2. n. 8.* & ideo earum diſtrictio, & cognitio dumtaxat ſpectat ad judices Eccleſiaſticos, qui ſpirituali juriſdictioni præſunt, *c. decernimus, de judiciis, c. cauſam, qui filii ſint legit. l. 56. tit. 6. part. 1.* docent Covarr. *l. 3. var. c. 3.* plures relati a Fermoſino *in d. c. decernimus*. Cauſæ autem Eccleſiaſticæ non meræ dicuntur illæ, quæ quamvis ex ſe, natura ſua temporales ſint, ſeu profanæ; juſtis tamen de cauſis Eccleſiaſticis judicibus reſervatæ ſunt, *cap. ut Inquiſitores, §. prohibemus, de hæreticis in 6. c. quoniam*, ibi: *Super cauſis Eccleſiaſticis, ſive quæ forum Eccleſiaſticum ſpectant; de immun. Eccl. l. 6.* quibus verbis ſignificatur, alias eſſe cauſas natura ſua Eccleſiaſticas, alias veræ, quo licet natura ſua non ſint Eccleſiaſticæ, pertinet tamen earum cognitio ad judicem Eccleſiaſticum. Quod etiam colligitur ex Trident. *ſeſſ. 25. de refor. c. 23.* Unde cauſæ omnes, tam Eccleſiarum, quam clericorum, quæ cum natura ſua eſſent profanæ, Pontificum, vel Conciliorum decretis Eccleſiæ judicio reſervantur, Eccleſiaſticæ appellantur, ſed non meræ: quia id non habent ex natura ſua, ſed ex jure conſtituto. Temporales cauſæ, ſeu profanæ ſunt, quæ ex ſe, & natura ſua non exigunt ſpiritualem cognitionem: nec in eis ulla ſubeſt cauſa, propter quam earum cognitio ad judicem Eccleſiaſticum ſpectet; & ideo in totum ad judices laicos pertinent, *c. quoniam, 10. d. c. cum ad verum, 93. d. c. novis, de judiciis*. Ex quo provenit, ut omnes cauſæ laicorum, tam civiles, quam criminales, ad judicium ſæculare ſpectent, ut docent P. Greg. *l. 47. ſyntagm. c. 4.* Vela *in c. 1. de officio Ordin. nu. 10.* Tandem cauſæ mixtæ appellantur, quæ licet natura ſua ſint temporales, earum tamen cognitio ad utrumque judicem, tam Eccleſiaſticum, quam ſæcularem ſpectat, & in illis præventioni locus eſt, juxta communiter noſtra *in c. 1. de officio ordin.* Martha *de juriſd. 2. part. c. 1.* Bobadilla *l. 2. polit. c. 17.* Salas *de legibus, diſp. 9. ſect. 5. nu. 48.* Thomas Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 54.*

Ex quibus jam apparet ratio præſentis canonis; nam cum laici Eccleſiaſtica negotia, maxime ea quæ ſpiritualia ſunt, tractare non poſſint, ſed Eccleſiaſtico judicio ſint reſervata, *c. 2. de judiciis*, quia eorum cognitio dependet ab ſpirituali cognitione, quam Chriſtus Dominus Petro, & ſucceſſoribus conceſſit, ut ab eis in inferiores Prælatos derivaretur, ut *Joannis c. ult. Matthæi c. 16.* defendunt Bellarminus *l. 1. de clericis, c. 28.* Morla *in empt. tit. de juriſdict. q. 12.* Covarr. *pract. q. 31.* & etiam quia Eccleſiaſticarum cauſarum cognitio a jure judicio Eccleſiæ reſervata eſt, *c. Silveſter, c. continua, 11. q. 3.* unde laici, qui rebus ſæcularibus ſunt implicati, non debent tractare hujuſmodi negotia, *c. ad verum, 96. diſt.* non enim eſt concedenda auctoritas judicandi illis, quibus obſequendi manet neceſſitas, *c. Eccleſias, de conſt. c. cum laicis, de rebus Eccleſiæ*. Quæ cum ita procedant in judiciis, & arbitria ſint redacta ad inſtar judiciorum, *l. 1. ff. hoc tit.* recte Innocentius in præſenti canone conſtituit, ne in laicos in ſpiritualibus cauſis compromiſſum fiat, cum indecens ſit, ut laici in his cauſis arbitrium dicant. Quam deciſivam rationem licet reprehendat Angujanus *l. 2. de legibus, c. 23. n. 12.* veram exiſtimo, *eamque* illuſtrat Barboſa *in ſelectis ad hunc textum*. Sed licet verum ſit, laicos in cauſis ſpiritualibus arbitros eſſe non poſſe, tamen ut arbitratores recipi, omnes Interpretes affirmant, & docent Bobadilla *t. 1. polit. l. 2. cap. 18. n. 140.* plures relati a Barboſa *in ſelectis ad hunc textum, n. 13.* Fragoſo *d. tr. de arbitris, diſp. 14. num. 34.* non enim omnes, qui prohibentur arbitrium dicere ut arbitri, vetantur ut arbitratores aſſumi; quia tunc procedunt, non tamquam judices, ſed ut amicabiles compoſitores, ut docent Blancus *de arbitris, n. 56.* Lanfracus *eod. tr. 2. part. num. 5.* Unde Judæi, quamvis nequeant arbitrium dicere in cauſis Chriſtianorum, ut probat Fragoſo proxime, *n. 41.* arbitratores tamen eligi poſſunt: & ſimiliter monachi, qui prohibentur compromiſſum ſuſcipere, arbitratores eſſe poſſunt, *c. injuſtum 11. q. 3.* Docent Bajo-Arroyo *in c. Quintavallis, num. 156. ff. de jurejur.* Accedit, nam arbitrator non judicialiter, ſed amicabiliter procedit: unde ceſſat ratio incapacitatis, & indecentiæ ſupra expenſa. 4 Traditur ratio decidendi.

Nec obſtat difficultas ſupra pro dubitandi ratione perpenſa; nam licet verum ſit, arbitrum non virtute juriſdictionis, ſed potius ut a partibus electum, poſſe de cauſis, controverſiiſque cognoſcere, & ideo ante Concilii Lateranenſis tempora, de quo in præſenti, laicos etiam in cauſis Eccleſiaſticis recipi poſſe; tamen poſt prædictum Concilium arbitri deſignari non poſſunt; id enim expreſſe prohibuerunt Patres in præſenti capite, quia licet non adſit ratio juriſdictionis, quæ in arbitro non datur, adeſt tamen ratio indecentiæ, quam aſſignarunt Patres in præſenti, ſupponentes compromiſſum in laicos factum ſuper re ſpirituali, ſtricti juris rigore valere, verum deinceps prohiberi tale compromiſſum ob indecentiam, quæ in eo maxime conſiſtit, quod arbitri in multis ad inſtar judicum, & in formam judicii procedunt; ordinemque judiciarium obſervare tenentur, *lib. idem Pomponius, §. recepiſſe, ff. hoc tit.* inhoneſtum autem viſum eſt Patribus Concilii Lateran. laicos ut arbitros in cauſis Eccleſiaſticis procedere, ne in eis aliquam juriſdictionem exercere videantur. Quæ indecentiæ ratio licet per ſe non ſufficeret ad compromiſſum vitiandum ſuper re factum Eccleſiaſtica, ea tamen nititur præſens Concilii conſtitutio, ut hujuſmodi compromiſſum deinceps non fiat, ut docent Angujanus, & Barb. *ubi proxime*. Nec argumentum difficultatis petitum ab exemplo delegatorum obſtat; nam verum eſt, quod licet laici in cauſis Eccleſiaſticis, ut judices ordinarii procedere non poſſint, tamen tamquam delegati de eis cognoſcere valent. Diſcriminis ratio ex eo provenit, quia laicorum incapacitas impedit juriſdictionem proprio jure exercere, *d. cap. decernimus, de judiciis*; non autem nomine delegantis, quia tunc non proprio nomine, ſed ex perſona Pontificis delegantis, juriſdictionem exercent, *c. ſane, de officio delegati, l. 2. §. qui mandata, ff. de officio ejus*, & ideo ipſe R. P. potius juriſdictionem exercere videtur, regula *qui faciunt, de regulis juris l. 6.* Nec obſtabit ſi inſtes, judicem delegatum in cauſa ſibi commiſſa proprio judicio uti, *c. prudentiam, §. illa, de officio deleg.* & tamen laicis interdictum eſt proprium judicium in cauſis Eccleſiaſticis interponere *diſt. capit. decernimus*. Igitur nec ut laici procedere poſſunt. Nam reſpondeo, judicium *in d. c. decernimus*, non accipi pro ſenſu mentis, vel animi ſententia; ſed potius pro imperio, & juriſdictione, ut ibi repetentes communiter docent. Nec ultimum argumentum refragatur deductum *ex c. dilecti, c. expoſita, hoc tit.* Pro quorum expoſitione varia adducunt Interpretes. Aliqui enim affirmant, in dictis deciſionibus ſuſtineri compromiſſum in laicos factum, quia non ſuper rebus Eccleſiaſticis, ſed temporalibus factum fuerat, ſuper quibus etiam a clericis in laicos compromitti poteſt: docent Martha *de juriſdict. 4 part. centur. 1. caſu 40. n. 1.* Fermoſinus *in c. quanto, n. 3. de jud.* Sed hac ſolutione omiſſa dicendum eſt, *in d. c. expoſita*, ideo compromiſſum factum in laicos ſuſtineri, quia cum licentia, & auctoritate R. Pontificis factum fuit, ut conſtat ex illis verbis, *litteras noſtras*, & docet Balboa *in d. c. decernimus, nu. 154.* Etiam pro interpretatione textus *in d. c. dilecti*, dicendum eſt, illum procedere ante Concilii Lateran. conſtitutionem in præſenti relatam; cum enim, ut ſupra dixi, ante tempore Concilii Lateran. non eſſet prohibitum compromiſſum in laicos etiam ſuper rebus Eccleſiaſticis, ideo 5 Diſſolvitur dubitandi ratio.

in ejus